

I. N. J.  
SATURRA  
SACRA

Systematicæ Theologiæ,

QUAM

DIVINA ANNUENTE GRATIA

In Alma hac LUDOVICIANA

Sub PRÆSIDIO

VIRI

Summè Reverendi, Amplissimi atq̃

Excellentissimi

DN. PHILIPPI LUDOVICI  
HANNEKENII,

SS. Theol. D. & Prof. Primar. longè celeberrimi,  
Superintend. ac Pastoris Giessensis gravissimi,

*Dn. Patroni ac Præceptoris omni observantiâ*

*ac honore jugiter colendi & devenerandi*

Ad diem

*Publica Θεολογῶν συζήσει submittit*

JOHANNES HENR. WEISSENBRUCH,

Hammâ - Saynanus,

Auct̃or & Resp.

GIESSÆ-HASSORUM,

TYPIS HENNINGI MÜLLERI, 1688.

~~A~~

~~III~~ III

oll. diss. A  
75, 16

274. A 175 (16)

# VIRIS

*Magnificâ autoritate , Generis nobilitate , Eruditionis  
Excellentiâ, Munerum Amplitudine , Consiliorum Prudentiâ , Re-  
rumq; tam Politicæ quàm Ecclesiæ gerendarum dexteritate  
undiquaque splendidissimis :*

DN. JOHANNI JUSTO HARTMANNO  
FISCHERO,

Jcto celeberrimô , Serenissimo Principi ac Do-  
mino , Domino Friderico Magno Marchioni Baadena  
Durlaceno à consiliis secretioribus ;

DN. CASPARO BERNHARDO  
MELCHIOR,

J. U. Licent. excellentissimo , Illustrissim: DDDno-  
rum Ried Eseliorum LLL. Baronum in Eysenbach , Utrius-  
que Hassiæ Archi-Mareschallorum , DDDnorum  
meorum Gratosissimorum , Consiliario & Præ-  
fecto gravissimo ;

DN. JOHANNI CASPARO FINCKIO,  
SS. Theol. Licentiato famigeratissimo , Ecclesiæ  
Lauterbacenæ Pastori primario , cæterarumque adjacen-  
tium Inspectori longè meritissimo ;

*Resp. vè Avunculo , Cognato , Fautori magno , omnibus Patronis ac Pro-  
motoribus optumis , multisque nominibus colendis , suspiciendis.*

*Vitam longævam , felicitatem omnigenam , & Spiritum Consi-  
lii ac Prudentiæ semper adsistentem animitus precor !*

VIRI





## V I R I

Magnifice, Nobilissime, Admodum Reve-  
rende, Consultissimi atque Excellentissimi, Domini  
ac Patroni æstumatissimi &c.



*C*athedram Ecclesiasticam aliquoties, bono cum Deo,  
conscendi, & pro concione dixi; Riserunt forte & im-  
probarunt id aliqui tenelle mee ætati; Laudarunt  
autem conatum istum alii, qui & me dicentem audi-  
vere, & congratulati sunt quicumque boni, & qui  
intellexere huius rei finem. Morem gessi ei, cuius  
voluntas mihi pro lege est, nil feci propriò nedum temerariò ausu; Ee  
ita explorata sunt, quæ ad publicè proponendum mihi Numen concessit  
dona, & quidem tempestivè, quæ si pratico desint Theologo, satius ad  
aliud studii genus animum applicaret suum. Conscendo & nunc, quod  
DEUS T. O. M. bene veritat! Cathedram Academicam, specimen  
editurus scientiæ, quam hæctenus acquisivi, Theologicæ. Ast! nec Ec-  
clesiasticam, nec Academicam conscendere cathedram, Viri Amplissimi,  
mihi persuadere passus fuisset promissio Divina,  
Joel. 2, 28. Post hæc effundam de Spiritu meo in omnem carnem, & pro-  
phetabunt filii vestri, & filia vestre, & juvenes vestri visiones videbunt,  
& Seniores vestri somnia somniabunt. In qua Prophetia imprimis me-  
morabile id: Seniores vestri somnia somniabunt; Somnia naturaliter  
oriuntur ex exhalationibus, caput dormientis occupantibus, quibus dein  
phantasia imagines suas, velut cera liquida imprimit. Sed de huiusmo-  
di somniis naturalibus, me Palemone, Propheta non loquitur, verùm de  
Divinis, quibus olim Deus hominibus futura arcana manifestare suevit;  
Exemplo sunt: Iosephus, cui futura gloria, Nebucadnezar, cui series  
Monarchiarum, Daniel, cui multa implicita in somniis cœlitus innotue-  
runt. Memorabilius autem, quod additur: Filii vestri & filia vestre  
prophetabunt, & juvenes vestri visiones videbunt. Tritò quidem dici-

*eur: Aetate sapimus; Hic verò Deus inquit: Iuvenes vestri visiones videbunt. Visione ita apparuit iuveni Samueli, novello Regi Salomoni per quietem nocturnam Gibeone, Spiritum Sapiaentia, quanquam sicut in pueris effudit in Iesum, ut duodecimò atatis anno, admirantibus omnibus cum doctissimis Rabbiniis disputarit, Et majori jure de ipso dici potuerit, quod citante Horniò Hist. Nat. Et Civ. p. 169. quondam de juvene Tostato quodam circumferebatur:*


*Hic stupor est mundi, hic scibile discutit omne. Et sic etiamnum dona Spiritus S. annis non sunt alligata; nescit enim tarda molimina Spiritus S. gratia. Juvenis ego sum, libens id fateor, Sed Speusq; tamen S. literas, carò præeunte Genitore edoctus, verbique Divini adyta scrutatus sum, tantum igitur abest, ut non confidam promissioni Divinae: Iuvenes vestri visiones videbunt, vel Deum Et mihi Spiritum sapientia largiturum fore dubitem, quò adjutore Duceq; hætenus feci feliciter quod feci, presentesq; conscripsi Theses Theologicas, Et in publico ventilandas proposui, juvabit idem quod spero Deus! Vos autem, Viri æstimatissimi, quòd elegerim, quorum Nomini hanc opellam qualemcunq; meam inscriberem, id suò quodam jure flagitavit Et sanguen, quò mihi partim estis juncti, ac singularis amicitia, quæ non solum Vos inter, sed Et Vobis intercedit iiscum, qui mihi sunt charissimi, immeritusq;, quò meam exiguitatem Omnes Et Singuli prosequi dignati estis, amor pariter ac favor; Et cum huic exercitio Academico quaerendi essent Patroni, nec majores nec meliores occurrere mihi ac Vos. Munus itaque hoc literarium serenâ Vos fronte accepturos, Deorumq; imitantes naturam, mentem non manum inspecturos esse spero; Et tamen si minusculi hujus chartacei tenuitatem dissimulare non possim, obsequium meum tamen Et observantiam erga Vos æstimatum iri, confido; Quâ spe fretus Specimen hoc, simulq; me vobis devoveo. DEUS vestra consilia ex animi sententia Et voto quàm auspiciatissima esse iubeat, Vosq; Et familias Vestras, Et arduas quæ sustinetis munia, omnia deniq; cæpta Vestra omni ex parte beet! Ita vovet ex animo*

*Magnifici, Amplissimi ac Excellentissimi Nominis  
Vestri*

*Cultor ac Cliens ad rumbam obsequiosiss.*

*JOHANNES HENRICUS WEISSENBRUCH,  
SS. Theol. Stud.*

*JE-*



J E S U S!

**N**ancem Prisci Latini fructibus variis refertam vocabant Saturam. Hos eruditione imitaturi ex Systematica Theologia varias Theses collectas in Saturam chartacea offerimus, & Deo Trino auspice, publicæ θεολογῶν ventilationi subiecturi, initium facimus à S. Scriptura quæ est principium Theologiæ cognoscendi. Liceat tamen quædam præfari de THEOLOGIA.

Ast!

Incipe TU mecum, TU Mecum desine

J E S U!

DE THEOLOGIA.

THEOLOGIA vera ( quæ ex verbo Dei monstrat ac docet viam perveniendi ad vitam æternam ) non litigiosa ( quæ in altercationibus inutilibus occupata est , qualis maximam partem Scholastica est ) necessaria est in Ecclesia ; Vox Theologiæ licet in abstracto sit ἀγραφοῦ , quod concretum tamen est ἐγραφοῦ. vid. Rom. 3. 2. 1. Pet. 4. 11. & epigraphen Apocalypses Johanneæ. Theologiæ vox sumitur vel strictè , & notat tantum Scripturam solius articuli de DEO, vel latè, & significat , notitiam , non solum Dei, sed omnium quoque mysteriorum , quæ ad salutem scitu sunt necessaria. Accipitur etiam vel propriè vel impropriè & catechresticè ; hæc est doctrina falsa hæreticorum , gentilium & aliorum alias Mateologia dictam. Illa est vera. Confer Magnif. D. D. Rudr. Theol. Tripart. Protheor. p. 2. B. Scherz. Syst. p. 1. Kön. Synops. & alii. Theologia vera ratione subiecti est vel originalis ἀρχέτυπον , vel participata ἐκτυπον. Illa essentialis exemplaris & infinita eadem est, in Patre, Filio & Spiritu S. Hæc finita & accidentalis in

Christo, & habitualis, non confundenda cum infinita & essentiali, quæ Ei secundum Deitatem convenit essentialiter, secundum carnem personaliter; in Angelis & hominibus. Causa seu principium Theologiæ est vel *essendi* vel *cognoscendi*; Illud est Deus Trinitus. Hoc est verbum Dei, & inde enatum principium: *Quicquid S. Scriptura dicit, divinitus inspiratum ac verum est.* Materia tractationis est vera Religio. B. Scherz. l.c.p.4. Vel omnes res divinitus revelatæ, quatenus à nobis ad salutem sunt cognoscendæ & tractandæ, quæ unâ voce vera *Religio* dicuntur. Materia operationis est illud in quod iatroducitur finis per media, i. e. *homo peccator.* Theologia generaliter & quoad conceptum communem sumpta, pro notitia solùm eximia, etiam cum facultate & promptitudine differendi, complectens tantùm fidem dogmaticam; non verò salvificam, cadere potest impium, infidelem vel non-renatum, imò in ipsum Diabolum. Forma Theologiæ consistit in œconomia veritatum ad salutem nobis revelatarum. conf. *Es. 8. 20.* Quâ ratione Theologia ab aliis distinguitur disciplinis. Finis Theologiæ *summus & ultimus* est gloria Dei *Joh. 17. 4.* *Respectivus* salus hominum. *Medius* vel *externus* vel *internus*; Hic operatio Theologi ad salutem directa. Ille fides salvifica. vid. Scherz. *Syst. p. 4. §. 15.* Theologia non est ejusmodi habitus qui hominum tantùm solertiâ & iudustiâ quâdam naturali acquiratur, sed *θεόςδοτος* & *divinitus datus*; Cujus principium est (non *humana ratio*, sed) *divina revelatio*; *Excedit enim Theologia intelligentiam principiorum majestate, sapientiam luminis eminentiâ, scientiam conclusionum certitudine, prudentiam actionum sanctitate, artem operationum utilitate*, ut nervosè admodum Magnif. Dn. Rudrauff l.c.p.17. inquit. Vid. etiam ejus *Philos. Theol. p. 3. & seqq. Theolog. est nobis habitus practicus*, & quidem non *proprie ac strictè* sumptus, qui circa contingentia versetur, sed *latè*, pro habitu quolibet, qui ad solam *πράξις*  $\xi$ iv dirigitur, licèt etiam circa necessaria versetur.

DE PRINCIPIO COGNOSCENDI THEOLOGIÆ SCRIPTURÆ SACRÆ.

Verbum Dei Ecclesiæ concreditum, & fide divinâ tenendum solâ Scripturâ S. V. & N. Testamenti absolvitur. Scripturans

ram S. dari, fide divinâ credimus, *Luc. 16. 29. Job. 5. 39. & 20. 37. Apoc. 22. 18.* & humanâ demonstrare possumus. Scriptura appellatur SACRA (1) ratione efficientis, *2. Pet. 1. 2. Tim. 3. 16.* (2) ratione objecti, *1. Cor. 4. 1. Col. 1. 15.* (3) ratione adjuncti, *1. Thess. 4. 13.* (5) ratione finis, *Job. 17. 17.* Scriptura S. accipitur vel ὀλικῶς aut γενικῶς pro toto Bibliorum in Ecclesia usualium codice, vel μερικῶς & ειδικῶς, hōcque sensu solos libros *canonicos*, qui exinde καὶ ἐξοχὴν S. Scriptura dicuntur, denotat, vid. *Theol. passim.* Causa Efficiens Principalis Scripturæ S. est Deus Triunus; Pater confer. *Es. 58. 14.* Filius *Luc. 1. 2.* Spiritus S. *2. Petr. 1. 11.* adde cygneam captionem Davidis, erumpentis in hæc verba: Spiritus Domini locutus est, &c. *2. Sam. 23. 1.* Causa Ministerialis sunt *Prophetae in V. Apostoli in N. Testamento*: Et hi quidem optimâ fide; quâ *intelligitum* quâ voluntatem in percipiendo & reddendo præditi; *Percipiendo* quidem res ipsas quas Deus consignari voluit; *Reddendo*, respectu *memoriae* ut nulla erroris *μνημονευτικῆς* suspicio in eos cadere possit, & *morum*, ut etiam *πιστῶς* referre voluerint, vid. B. Scherz. *Syst. p. 9. §. 9. Brev. B. Hülf. p. 2.* Scripserunt autem *Prophetae & Apostoli* (quicquid obvertant Pontificii de mandato *προφορικῶς*, occasione humanitûs quæsita, incidente necessitate, &c.) *mandatō divinō. Matth. 28. 19.* ubi continetur mandatum (non *speciale & explicitum*, sed) *generale & implicitum*; *docere enim generale est* juxta eundem *l. c. p. 7.* Confer etiam *Ioh. 20. ult. Psal. 40. 8. Jer. 36. Habac. 2. 2. Apoc. 1. 11. &c.* Materia S. Scripturæ sunt omnia in libris canonicis (proprie ita dictis) contenta & maxime *credenda & facienda.* Forma S. Scripturæ *interna* est *authoritas & Majestas*, quæ ex immediato Spiritus S. afflatu, & rerum quas continet sublimitate, originem trahit. Ad hanc pertinet *sensus literalis* qui unius dicti unicus duntaxat est, quem Spiritus S. intendit exprimere naturali & pro illo tempore usuali significato verborum. Forma *externa* est *stylus originalis Hebræus in V. & Græcus in N. Testamento.* Male asseritur à quibusdam, vel Iudæorum malitiâ, vel descriptorum incuriâ Ebræum textum esse corruptum. Satis impiè non-nemo dixit: Dei providentiâ effectum esse, ut depraveretur textus Ebræus, ne scilicet rejectâ communi versione, confu-

geretur

geret quis ad Textum Ebræum. Cùm nulla *versio authentica* sit (hoc enim implicat) neque *Latina vulgata*, quæ communiter Hieronymi dicitur, in hoc ἀνεπίστος folium collocari potest. Neque enim à Spiritu S. immediatè fuit inspirata, & proinde auctoritatem tantum humanam obtinet; scætet insuper plurimis erroribus ac mendis, quod à nostratibus ὀφθαλμοφανεῶς demonstratum fuit. Libri S. Scripturam dividuntur ab *autoritate* in *Canonicos*, qui certam ac classicam auctoritatem habent, & *Apocryphos*, qui eadem destituuntur. Ad canonicum librum requiruntur tria: *Spiritus*, *Scriptor*, *Ecclesia*, i.e. *Spiritus S.* immediatus afflatus: *Scriptor* indubitato divinus, & *Ecclesie* primitivæ acceptatio & testificatio. confer Chemn. *P. I. Exam. f. m.* 109. Habet autem auctoritatis testimonium insigne liber *Canonicus* ab *Ecclesia*, sed non qualibet, verùm ea tantùm, quæ fuit illorum temporum, quibus *Scriptores Canonici* vixerunt. *Canonicis* opponuntur *apocryphi*, tanquam occulti, qui nec immediatò Sp. S. afflatu perscripti sunt, nec auctoritatem in *Ecclesia* primitiva obtinuerunt, nec ad articulos fidei probandos sunt apti. *Apocryphi* autem libri dicuntur dupliciter (a) qui occultæ sunt originis, & de quorum autore *secundario* fuit dubitatum. (b) pro iis, qui continent errores, facta impia laudant, mendacia admittunt &c. Libri *Apocryphi* posterioris ordinis in N. T. non dantur. *Finis S. Scripturæ* est, ut cognoscat homo credenda & facienda, & per fidem consequatur vitam æternam. *Ioh. 20, ult.* Nulli verò *Christianorum* interdendum est, ut *S. Scripturam* vulgari linguâ habeat & legat; neque ad legendi licentiam ulla concessio humana necessaria est; neq; etiam *Laicis Scripturas* *permittere perinde est, ac sanctum dare canibus, aut margaritas projicere porcis.* Κεῖνεια *Scripturæ S.* alia sunt *probabilia*, v. g. antiquitas; singularitas, Majestas, harmonia &c. alia *infallibilia*, sc. vis interna persuadendi, & internum testimonium *Spiritus S.* vid. *I. Ioh. 5. 6. seqq.* *S. Scriptura* in iis, quæ ad *fidem* & *mores* pertinent, non est obscura, sed clarissima. Afferimus autem perspicuitatem non *absolutam*, sed *ordinatam*. (Servatò sc. ordine divinitus institutò, & adhibitis legitimis interpretationis mediis) *perspicuitatem* item non *rerum* sed *verborum*. Fallunt & falluntur Pontiff,



Pontiff. fingentes Scripturam absque Ecclesiæ & Papæ interpretatione obscuram esse. Sensus & interpretatio alicujus dicti Biblici, quem quisquam mente concepit, sit *adequatus menti revelantis Spiritus S. & analogia fidei*. Origo & norma interpretationis est in V.T. Hebræus, in N. Græcus Textus. conf. 2. Pet. 1. 20. Scriptura S. omnia ad salutem *necessaria* perfectè continet, quia ei nihil addendum & detrahendum. Ps. 19. 1. 2. Tim. 3. 16. Apoc. 22. 18. Dupliciter quædam in S. Scriptura continentur: vel *ἀπολογεῖ secundum literam*, vel *κατὰ συνακολουθίαν* i. e. *secundum bonam consequentiam*. Non tamen quavis *consequentia* in probatione dogmatum sacrorum ut licet, sed *firmâ* ac *facili*, quæ ex perspicuis Scripturæ testimoniis rectè intellectis eruitur. Judicem controversiarum Theologicarum non *Pontificem R.* non *Concilia*, non *Patres*, non *Philosophiam*, sed *solum Spiritum S.* in Scripturis nobis loquentem agnoscimus. Nonnulli ex Orthodoxis *Spiritum S.* nonnulli *Scripturam* controversiarum judicem esse dicunt. Sed quia vox judicis personam denotat, hinc accuratiùs loquuntur illi, qui *Spiritum S.* *judicem* controversiarum, *Scripturarum* verò *vocem* judicis aut *normam* controversiarum constituunt. Utrumque tamen ex Scriptura petitis argumentis probari posset. Hoc certissimum: *Spiritum judicem* controversiarum *summum* ac *principalem*, *Ecclesiam ministerialem* esse; quæ controversias non nisi secundum normam, quæ vox supremi judicis & *Scriptura* est, dijudicare debet. Socin. ergò cum aliis, quibus ratio humana est iudex controversiarum, meritò reprobantur; Hinc Socin. axioma est: *ratio nostra est religio nostra*. Confer B. Scherz. *Colleg. Anti-Socin.* p. 17. & seqq.

LOCUS DE PRINCIPIO THEOL. ESEENDI, DEO  
TRINUNO.

Nomen DEI in Scriptura S. tribus usurpatur modis: (1) *κατὰ εἶπεν*. (2) *κατὰ χάριν*. (3) *κατὰ ψεῦδος*. Nomen Dei tribuitur: *Angelis* & quidem *bonis*, Ps. 97. 7. *Magistratibus*, Exod 22, 28. *Idolis*, Gen. 31. 30. *Diabolo*, 2. Cor. 4. 4. *Angelis bonis* & *Magistr.* propter officium quod exequentur. *Idolis* propter opinionem. *Diabolis*, propter fascinationem impiorum. *Esse DEUM* constat

B

stat

stat ex libro tum *natura*, Rom. 1.19. tum *Scriptura*; ne prima enim Bibliorum linea de Deo dubitare sinat, Confer B. Scherz. *Syst. h. l.* Finis notitiæ naturalis tum ex intentione Dei, tum ex intrinseca facultate notitiæ est, ut homines Creatorem glorificent, ulterius inquirant, & contemptores inexcusabiles fiant. Deus est *ens*, Exod. 3.14. *infinitum*. Essentia Divina *una* est. Confer. Deut. 4.35. 1. Cor. 8. Ef. 44. 6. *UNA* autem dicitur, quia singularis, non *INDIVIDUA*, quia communicabilis est. Attributa, Deo convenire dicuntur, non in *rigore Metaphysico*, ubi requiruntur, ut realiter à subjecto distinguantur, & ut subjectum non sit de conceptu quidditativo attributi, sed in *latitudine*; ita tamen, ut apta sint demonstrari de subjecto. Alia attributa sunt *personalia*, qualia: ἀγεννησία, γέννησις &c, alia *essentialia*. Alia *absoluta*, atque hæc vel *negativa*, v. g. independentia &c. vel *positiva*; Alia, *respectiva*, & hæc etiam vel *interna*, v. g. misericordia, vel *externa*, ut: creatio &c. *Aternus* est Deus, vid. Ps. 90. 2. Jacob. 1. 17. 2. Petr. 3. 8. & *immutabilis*; Job. 30. 21. mutari Deus quidem videtur, sed non mutatur *mutatione reali*, hoc enim à Deo alienum ex Malach. 1. verum *ratione effectus & nostri conceptus & sensus*. *Spiritualis* est Deus, Job. 4. 24. Luc. 24. 39. In imitationem igitur non est trahendum, quòd Veteres quidam, voce *corporis* sumptâ non *strictè & propriè*, prout Spiritui contradistinguitur, sed *latè & impropriè* pro substantia, Deum σῶμα *corpus* dixerunt. Deo in Scriptura S. attribuuntur *membra*: non θεολογικῶς & *propriè*; verum ἀνθρωποπαθῶς κατὰ συγκοιλίαν & *metaphoricè*, sic ei adscribuntur, intelligenda tamen θεοπεπῶς, juxta regulam Nazianzeni: τὰ ἀνθρωποπαθῶς λεγόμενα &c. *Simplex* est Deus, *simplicitate absolutâ*, est enim simplicissimum ens, ab omni concretionem liberum; Concreta tamen si quando Deo attribuuntur non *compositionem* sed *perfectionem* arguunt. Cùm Deus sit ens simplicissimum. confer Ps. 30. ult. Esai. 42. 8. Exod. 3. 13. omneque compositionis sive Logicæ sive Physicæ sive Metaphysicæ genus respuat, in Illum non cadit accidens *predicamentale* quod in subjecto inhæret; compositionem enim ex subjecto & accidente arguit; licet accidens *predicabile*, v. g. quando dicitur CREATOR, non sit à Deo alienum. *Infinitus* (negativè scil.

scilicet: infinitate item perfectionis) & immensus est Deus. vid. *Es.* 66. 1. *Pf.* 145. Omnipræsens est Deus: confer *Pf.* 139. 7. *Jos.* 2. 11. 1. *Reg.* 8. 27. *Job.* 11. 8. omnipræsentiâ non circumscriptivâ quæ localis, nec definitivâ, quæ Angelis competit, sed repletivâ & mysticâ. vid. *Theolog.* cum *Metaphys.* passim. Deus suis non nudâ suâ adessentiâ, quæ secundùm Excell. Dn. D. Rudrauff, in *Sylog. Extens.* pag. 22. 9. 19. *Metaphysica* dicitur, sed cum efficaci operatione adest. *Num.* 14. 24. Deus cum impiis esse negatur à Mose non ἀπλῶς, ratione Essentiae, sed κατὰ τὴν, respectu favoris & gratiae. Quando Deus negatur esse in terra, præsentiâ gloriæ negatur, cum in cœlis habitare dicitur, ibi gloriam & maiestatem suam manifestare, significatur. Omniscius est Deus. *Ebr.* 4. 13. *Ezech.* 15. 5. *Pf.* 130. 1. *Matth.* 6. 30. Scientia Dei alia est simplex vel visionis & theoretica, alia approbationis & practica. Alia absoluta, alia conditionata. Terminum scientiæ mediæ propter tricas sophistarum non esse satis usualem existimamus. Deus est misericors, *Exod.* 34. 6. 2. *Cor.* 1. 7. *Jer.* 31. 20. & bonus. *Pf.* 25. 8. Cùm nemo (summè sc. & independentè) sit bonus nisi Deus. *Matth.* 19. Mali culpa sive peccati causa neque per se neque per accidens esse potest. *Pf.* 18. 26. loquitur de perversitate non morali, sed pœnali; conf, Pfeiff. *Dub. Vex. Script.* in *Pf.* 18. p. 574. Alii distinguunt inter perversitatem veram vel intrinsecam, & apparentem, & de hac hōc locō. Deus est justus *Psal.* 119. 137. *Pf.* 7. 12. *Exod.* 9. 27. Justitia punitiva & premiativa Deo etiam essentialis, non arbitraria est, sed necessaria. vid. Scherz. §. 31. Deus est volens, *Pf.* 115. 3. *Jacob.* 4. 15. Objectum voluntatis in Deo est solum bonum ἀληθῶς. Voluntas verò ejus est liberrima, ad intra & ad extra. Voluntas Dei in se & absolutè considerata una est, relatè verò & quoad modum concipiendi nostrum à Theologis constituitur multiplex: Voluntas Dei alia est occulta de qua *Pf.* 36. 7. *Rom.* 11. 13. alia revelata; Alia absoluta, quæ irresistibilis, alia conditionata, cui malitiæ hominum resistere potest. *Luc.* 7. 10. *Matth.* 23. 37. *Actor.* 7. 51. Alia antecedens, quâ vult omnium hominum salutem, alia consequens, quæ tantùm credentes salvat, incredulos verò damnat. Attributa hæc non sunt accidentia in Deo, sed ipsa essentia, quod constat ex revelatione S. Scripturæ, quæ docet; Deum

esse misericordiam ipsam, dilectionem ipsam, illuminationem ipsam, Joh. 5.26. Eccl. 2.21. De Mysterio Trinitatis judicandum non ex humana ratione, sed ex Divina revelatione. Personæ Trinitatis omnes eandem habent essentiam communicabilem. Trinitatem non constituit essentie pluralitas, sed characteristarum proprietatum diversitas. Trinum est hîc, quod cum unum sit essentiâ, tres habet existendi modos. Vocabula *persona*, 2. Cor. 1.11. ut & *Trinitatis*, 1. Joh. 5.7. quoad rem καὶ τὴν διάνοιαν, & concretivè sunt ἐγὼ φα. Vox ἰωὺσ ἀσείως denotat personam, non semper essentiam; unde Latini Patres vel timide vel planè non dixerunt, tres hypostases in Divinis esse cum Græcis, vid. Magnif. Dn. D. Rudr. Tabell. Metaph. Disp. de Deo. Personæ ab essentia non realiter differunt, Essentia à persona formaliter, persona à persona realiter. Ex voce אלהים pluralitas Personarum in SS. Deitate solidè probatur. Gen. 1.1. 26, Creatio cœli & terræ tribuitur SS. Trinitati per verbum sing. num. CREAVIT. Creatio hominis Eidem tribuitur per verbum plur. FACIAMUS &c. confer. Gen. 19.24. Deut. 6. ubi Elohim in plur. dicitur tamen DEUS unus. vid. B. Hülsem. Brev. in h. l. Trinitas Personarum patet ex Ps. 33.6. Es. 6. Es. 30.22. Matth. 3.16. & 17.2. Cor. 13.1. Joh. 5. Male Nonnulli, negant Judæum posse ex solo V. T. de SS. Trinitatis mysterio sufficienter informari erroris-que sui convinci. Ἀγνωσία, uti negat omnem processionem, est character Patris. Genuit PATER de sua essentia non aliud, hoc est aliam essentiam, sed alium, sc. personam. Notio Filii est γεννητός five generatio passiva. Divinitas Filii claret: ex denominatione, vid. Jerem. 23. Ps. 45. ex actionibus Divinis, Joh. 1. ex Epithetis, ex adoratione religiosa. Patrem esse Deum καὶ ἐξοχὴν non est asserendum. Vox Spiritus hic non limitur pro donis Spiritus S. ut 2. Reg. 2.8. nec essentialiter, nam & Pater & Filius sunt Spiritus, sed personaliter pro Spiritu spirato, qui est tertia persona Trinitatis. SANCTUS verò dicitur ab œconomia sanctificationis, conf. System. B. Scherz. in h. l. Notio Spir. S. est ἐκπύσεως processio, quæ est æterna totius essentiæ divinæ perspirationem communicatio. Præcisus æternæ generationis modus, & in quo propriè consistat differentia inter generationem æternam Filii & æternam processionem Sp. S. à Patre.

Patre & Filio in hac vita ignoratur; Modi istius distincta cognitio singulis salvandis necessaria non est, sed modum alium revelato contrarium aut diversum substituere, credere & credendum proponere, saluti noxium & omninò illicitum est. Verba sunt B. Hülsem. in *Brev. c. 2. p. 36. §. 9.* Spiritus S. à Patre & Filio procedit. conf. *Matth. 10. 20. Gal. 4. 6. Es. 11. Job. 15. 26.* Deitatem Sp. S. probant: *denominatio Jehovah, 2. Sam. 23. 3. Attributa essentialia, opera Divina & cultus divinus. Personalitas Ejus claret ex definitione persona, Attributiones Es. 45. 16. Job. 16. 7. Suppositali operatione, conf. Act. 13. 2.* Spiritus S. in credentibus & essentialiter & effectivè habitat!

LOCUS DE CREATIONE.

Creatio aliàs metaphoricè hominis renovationem, *Pf. 51, 12. & mali immissionem, Es. 45, 7.* hîc verò creationem primam, seu qua rebus omnibus ex nihilo *negativo & privativo* productis Deus esse illorum largitus est. conf. B. Scherz. *System. p. 52.* Creationem esse *purae fidei ac merae revelationis* non probatur per *Ebr. 11. 3. Fide intelligimus &c.* ibi enim non de *causa efficiente*, nec de *qualicunque mundi productione*, quæ ex lumine naturæ cognosci possunt; Sed de *creatione ex nihilo tali modò, ordine & tempore* (& hîc modò est *purae fidei*) sermo est. Unde creatio est articulus fidei non strictè sit dictus, qui sc. ex sola revelatione notus est, sed latè, & hîc nomine & illud venit, quod fundamentum in S. Scriptura habet. Creare significat ex nihilo aliquid facere, *Gen. 1. 1.* ut communis Theologorum definitio habet, significat etiam *non quidem ex nihilo, sed ex præjacente materia, singulari consiliò ac modò* novi aliquid facere. Et hinc creatio alia est *prima vel secunda; Alia immediata, alia mediata; alia activa, alia passiva.* Creatio est actio non *prædicamentalis* quæ est accidens, sed *transcendentalis*, quæ notat verum influxum actualis causæ agentis in effectum. Excell. Dn. D. Rudr. in *Tabell. Metaph. p. 80. q. 7.* distinctè respondet, si scil. terminus creationis à creatione non differt, non potest quin dicatur substantia, quando creatur substantia; Quando verò creatio medium erit inter creatorem & creaturam, nihil vetabit dicere accidens, quando creatur accidens. Causæ efficiens principalis est tota S. S.

Trinitas, cujus Personæ equaliter creârunt, verbô & spiramine non transitivô, sed substantiali & eternô. conf. *Joh. 5. 17. 1. Cor. 8. 6. Joh. 1. 3. Gen. 1. 2.* Creatio autem est tribus personis communis ratione operationis, & sic non tribuitur soli Patri, sed etiam Filio & Spiritui S. *Pf. 30. 6. Joh. 1. 1. Col. 1. 16.* ratione appropriationis soli Patri in Symbolo Apostolico præeunte S. Scripturâ *Matth. 11. 25. Actor. 4. 24.* adscribitur. Causa instrumentalis Creationis nulla est. Nulla Creatura, potuit creationis immediatæ sc. (de causa instrumentali in creatione mediata Theologi concedunt) causa vel principalis vel instrumentalis esse. Materia Creationi præexistens nulla fuit; Sed in ordine creaturarum primò indigesta moles & materia ex nihilo à Deo producta est; postea distinctæ species ex illa materia excitatæ sunt. Forma specifica Creationis est totius aggregati, & singularum specierum ad intentionem Creatoris exactè congruens productio. Primò die omnia materialiter, reliquis sex diebus omnia formaliter condita sunt. Nihil in creatis quod malum ac noxium sit per se & naturâ suâ ex creatione, licet per accidens propter lapsum nim: ) quædam herbæ sint noxiæ, quia peccati causâ terra maledicta est. *Gen. 3. 17.* Nihil, quòd bonitate suâ absolute & in se careat, quanquàm non sit bonum alicui & secundùm quid. Finis Creationis est agnitio bonitatis potentia & sapientia Divina, hominumque utilitas. *Pf. 19. 2. Rom. 1. 20.* Res creatæ distinguuntur ab Apostolo in visibiles & invisibiles; ut per visibiles res intelligantur substantia corporea, per invisibiles incorporea. Substantia incorporea sunt, quæ ex materia & formæ concretione consistunt. Harum συνοχη efficitur mundus, sex dierum spaciò conditus. Harumque aliæ tantum esse habent, quæ creatæ sunt primis quatuor diebus: aliæ præter esse habent vivere, quæ creatæ sunt die tertiò; Aliæ præter esse & vivere sensu etiam sunt prædita, quæ creatæ sunt diebus quintò & sextò; Aliæ denique præter esse vitam & sensum, vim quoque intelligendi habent, ut homo, qui conditus est die sextò. Substantia incorporea sunt Spiritus compositionis ὑλικῆς expertes.

Locus

LOCUS DE ANGELIS.

Angelus non *natura* sed *officii* nomen est: uti DD: ex Ambrosio passim docent. Nomen Angeli tribuitur Creatori *secundæ Trinitatæ personæ*: Gen. 16. 7. Gen. 32. 11. Os. 12. 4. Malach. 3. 7. Es. 63. 9. Syncretistæ sunt, qui Angelum illum in locis allatis creatum fuisse fingunt. Quotiescunque vel nomen Jehovæ, vel divina opera, vel divinus cultus Angelo tribuitur, intelligitur Dei Filius, Angelorum omnium Dominus. Tribuitur etiam *Doctoribus Mal. 2. 7.* Propriè autem accipitur pro *Spiritibus administratoriis. Philosophis dicuntur: Intelligentiæ*, à præstantissima ipsarum operatione, *Dæmones* seu *Dæmonia*; quamvis autem hoc vocabulum absolutè sumptum in bonam partem accipiatur, nihilominus tamen sæpiùs improbis Spiritibus tribuitur; *Genii &c. Theologis; Angeli*, eò quòd à Deo tanquàm suæ voluntatis internuncii ad homines mitti soleant; *Elohim, Dii, exercitus cœli, astra matutina &c.* Angelos dari ex *S. Scriptura Ps. 103. Ps. 104. Matth. 18. 10. Col. 1. 16. Ebr. 1. 7.* disertè constat. An verò *Scripturâ sepositâ* eorum existentia *ex lumine natura* evidenter probari possit? Magnif. Dn. D. Rudrauff, in *Tabell. Metaph. p. 67.* distinguit cum *B. Scherz. Syst. p. 95.* inter argumenta *probabilia* lumini naturæ non deneganda, & *Apo-dictica*: confer etiam ejusdem *Theol. Philos. Diss. de Ang. p. 171.* Alii discriminantur inter *probationem à priori & posteriori*; inter *notitiam confusam*, (& hâc demonstrari posse dicunt, non tam *unde & quales*, quàm *quòd sint*,) & *distinctam*, hanc negant. *vid. post Theol. etiam Le Grand. Inst. Phil. p. 177.* Causa Efficiens Angelorum est Deus unitrinus. *Ps. 104. 4. Col. 1. 16.* Quando Angeli creati sint, non satis manifestè, constat; Eos tamen *nec ante, nec post hoc* universum conditos esse certum est. *Non ante*, quia omne antemontanum stylô *Scripturæ æternum* est; *non post*, quia septimò die quievit Deus ab omni opere, *Gen. 2. 2.* Igitur intra hexaëmeron creati sunt. confer. *Scherz p. 97.* Scriptura angelos nobis describit, quod sint *essentiæ spirituales*, & propterea naturâ suâ nobis *invisibiles*, non habentes carnem & ossa. *Luc. 24. 39.* Unde specialiter Spiritus dicuntur: *Ebr. 1. ult.* Hanc *Spiritualitatem* non habent ex *essentia Dei*, quæ *indivisibilis*, sed à Deo ex *nihilo* creatam.

Dicun-

Dicuntur Filii Dei non per *generationem*, sed *creationem*, non *substantivè*, quasi ex essentia Dei producti essent, sed *distinctivè*, ut à filiis hominum distinguantur. Corpora autem in quibus Angeli apparuerunt, non fuerunt *propria*, verùm ab illis liberâ voluntate ad tempus καὶ ὀικονομίαν *assumpta*; In his leguntur apparuisse & tacti fuisse, sed *per accidens tantùm*. Angeli uniti fuerunt istis corporibus non *inseparabiliter καὶ ἑνώσει*, & *personaliter*, sed *separabiliter καὶ ἀναλογίαν* & *formaliter*, ut B. Lutherus loquitur, qualis unio est inter motum & mobile. Sunt autem Spiritus non *elementares*, ut venti, sed *substantiales*. Tribuitur ipsis *lingua*, 1. Cor. 13.1. verùm non *corporalis*, essent enim aliàs corporâ, sed *intellectualis*. Leguntur comedisse, Gen. 18. 8. non *comestione naturali* quam sequitur digestio, quanquàm & hîc distinguant Theologi inter comestionem *naturalem completè* & *incompletè sumptam*, & hîc modô se habere dicunt comestionem angelorum, sicut & Christi post resurrectionem, Luc. 24. 42. Verùm *œconomica*, non ex *necessitate*, sed *liberâ dispensatione*. Nullum ens creatum est, quod non sit compositum vel ex materia & forma *physicè* vel *metaphysicè* ex actu & potentia; Cùm autem Angeli immunes sint à materia, in eos cadit *compositio ex esse* & *essentia, actu* & *potentia*. Circa incorruptibilitatem Angelus consideratur vel *ratione essentia* & *natura*, & sic incorruptibilis est, vel *ratione dependentia*, quatenus scil. à Deo est, & sic corrumpi potest. Forma Angelorum quænam sit & in quo consistat? melius ignoratur, quàm quæritur. Angelis competit *locus definitivus*, in hunc modum hîc sunt, ibi non sunt. Angelos esse vel *bonos* vel *malos* ex S. Scriptura patet. Angelorum bonorum scientia triplex est: *innata* ipsis in prima creatione à Deo indita; *revelata* ex revelatione divina, Dan. 7. 16. *Experimentalis*, ex observatione eorum, quæ à nobis fiunt. Boni Angeli in bonitate ita sunt confirmati, ut eâ excidere non possint. Confirmatio hæc in bono, non tollit libertatem arbitrii, præstantiori enim libertate arbitrii præditi sunt quàm antea. Angeli neque pro intercessionis, nec pro adjutorii officio sunt adorandi. confer. Dent. 6. 13, Apoc. 19. 10. Ad singulorum fidelium custodiam angelos esse deputatos, certum, per Ebr. 1. ult. Singulis peculiarem deputari

incer-



incertum, nec tamen hæresis est asserere. confer: *Matth.* 18. 10. *Pf* 34. 8. Vid. Excell. Dn. Rudr. *Sylog. Extens. loc. de Angel.* p. 82. 9. 4. B. Hülsem. *Breviar.* p. 46. *th.* 10. Angeli quidam mali dicuntur, non ratione *substantiæ* vel *naturæ*, sed ratione *qualitatum* à se ipsis sibi comparatarum. Peccatum Angelorum malorum fuisse superbiam convenientior est Scripturæ sententia, *Gen* 3. 5. *Ef.* 14. 12. *Matth.* 4. 9. Locum *Ef.* 14. 12 tamen non *literaliter* de lapsu Principis Diabolorum esse accipiendum, docet Dn. D. Pfeif. *Dub. Vex. ad Ef.* 14. Quò tempore angeli lapsi sint, tacente Scripturâ ignoramus. Angelos quosdam per naturam malos fuisse, male ex *Job.* 8. 44. colligitur, dicitur enim de iis, quod in veritate non steterint; E. antea fuerunt in veritate. Causa lapsus Angelici nequaquam Deo assignanda, quæ voluntas ipsorum ultrò à bono ad malum deficiens fuit. Etsi potestas Satanæ *stupenda* & *satis valida* sit, *limitata tamen* & certis cancellis à Deo circumscripta est. vid. *Job.* 1. 12. *Matth.* 8. 31. *Et Diaboli faciunt quod possunt permittente Deo, quod possunt non faciunt, prohibente Deo.* Mali Angeli beneficiò naturæ suæ *mira* facere possunt, *miracula*, nisi per extraordinariam Dei dispensationem, facere non possunt. Finis Angelorum bonorum ratione Dei est *ψαλμωδία* *Pf.* 103. 20. *λεισργία*, *Ef.* 6. 3. *λατρεία*, *Pf.* 97. 7. Resp. hominum est *ἀγκυονία*, *Ebr.* 1. 14. Resp. ipsorum Angelorum est æternæ felicitatis fruitio.

LOCUS DE HOMINE.

Altera Species creaturarum nobilior est *homo*, animâ immortali & rationali, ac corpore olim non mortali constans. Contrariam thesin suam faciunt, qui docent: corpus Protoplastorum naturâ suâ fuisse mortale, imò homini in statu etiam integritatis fuisse naturale, morbis & morti obnoxium esse. Immortalitas corporis fuit Protoplastis *concreata naturalis* & pars primæ conditionis, *non supernaturalis* vel perfectæ naturæ superaddita, & contradistincta puris naturalibus. *Pura enim naturalia* hominis integri sunt *purum putum commentum*; Nec enim extiterunt unquam, nec debuerunt existere, nec hominis integri perfectio, quæ cum ipso cœpit, ne ad momentum quidem ab eodem abfuit; Ergò temerè à Papist. Armin, & Novat. finguntur, confer: Excell. Dn. D. Rudr.

C

Sylo

*Syllogem* p. 87. q. 1. B. Scherz. *Syst* pag. 110. B. Strauch. *Vindic: Con-  
sens. Repetit.* p. 123. *Causa* producens hominem est Deus unitri-  
nus *Gen.* 1. 76. & 2. 7. *Materia* primi hominis ex qua ejus corpus  
factum, fuit pulvis terræ. Primus homo fuit Adam, disertè enim  
πρωτὸς ἄνθρωπος, *1. Cor.* 15. 45. dicitur, adeò, ut fabula Præ-Ada-  
mitarum, Autore Isaac Peyreriò *verè sit & maneat fabula.* Ma-  
teria ex qua Evæ corpus formatum, costa fuit Adami, animæ hu-  
manæ ad Evam tradux, Sacrà id attestante paginâ. *Gen.* 2. 22. Ma-  
teria hominis in *facto esse*, est corpus animatum organicum, olim  
ut diximus, ex indita vi primigenia impatibile & non - mortale.  
Forma consistit in modo productionis, quòd sc. Deus hominem  
fecerit susceptâ de hoc opificio deliberatione, *Gen.* 1. 26. Ipsum non  
in *momento*, sed *successivè, ornatè & eleganter* efformaverit. Vid. Kõ-  
nig. *Theol. Posit.* p. 54. Non solùm autem *hominem* fecit eum  
Conditor, sed ad *imaginem* suam *mulierem* cum viro, quicquid tri-  
centur Socinn. fecit. Varias acceptiones *Imaginis*, vid. apud Kõnig.  
*Theol. Posit.* p. 71. Dietricum *Instit. Catech.* Ebartum & alios. *Ima-  
go* autem Dei erat, quâ Factori suo conformis erat homo, mente  
suâ Deum agnoscens sincerè, agnitum voluntate sanctâ colens sua-  
viter, & vires inferiores superioribus subjectas habens pulcher-  
rimè. Confer. *Aphor. Theol.* B. Schröd. §. 18. §. 2. *seqq.* Imago hæc  
Dei sita fuit potissimùm in *illustratione mentis* de rebus divinis &  
naturalibus, ex impositione nominum, *Gen.* 2. 19. resplendescen-  
te, vid. Scherz. *Brevic. Theol.* p. 101. in *justitia & sanctitate* volun-  
tatis & appetituum. *Col.* 3. 3. *Eph.* 4. 23. Non unicè ac præcipuè in  
*dominio* super cæteras creaturas. Dominum in reliquas creaturas  
etsi divinæ *imaginis pars* fuerit, non fuit, *illa tota* tamen. *Gen.* 2. 20.  
Licèt imago Dei homini *naturalis*, non ipsa tamen ejus *substantia*  
fuit. *Eph.* 4. 22. 23. 24. *Natura* humana, qualem propagarunt  
Protoplasti in posteros suos, non *essentialiter* differt ab illa natura,  
quam illi in prima conditione acceperant; Non enim *pars essentia-  
lis* ipsius naturæ humanæ amissa est, verùm *accidens concreatum*  
perficiens illam naturam. Imago hæc per peccatum hominis a-  
missa est, pariter atque lapsorum angelorum primæva integritas.  
*1. Cor.* 15. 49. *Immortalitas* erat *donum corporis*; Imago verò  
digni-

*dignitas anima*, sed dum suafu Satanæ illectus, Deo nec probante nec ciente, per liberum voluntatis suæ arbitrium, quó bonum, si voluisset tenere poterat, à bono ad malum sese avertit, & fructum vetitæ arboris comedit, amisit utramque, & in mundum introduxit peccatum. Quâ facultatè & qualitate *homo integer* speciem integri propagaturus erat, eâdem *jam lapsus* lapsi speciem propagat. Finis hominis Respu. Dei Ipsius gloria; Respu. hominis vita æterna, ad quam conditus erat.

LOCUS DE PROVIDENTIA.

Providentiæ vocabulum ex usu Scripturarum, sumitur pro æterna & actuali Dei notitia ac gubernatione rerum creatarum Providentia alia est *generalis*, quæ ad omnia se extendit etiam minutissima, *Joh. II. 7. Ps. 139. 7.* vel *specialis*, quæ ad omnes homines se extendit; hæcque vel *universalis*, vid. *Proverb. 26. 2. Act. 17. 23.* vel *particularis*, *Ps. 77. 21* vel *singularis*, quâ Deus peculiariter electos sibi habet commendatos. *Joh. 10. 14.* Alia est *ordinaria & mediata*, alia *extraordinaria & immediata* est. Dari Providentiam constat ex *Gen. 22. 8. Sap. 14. 3. Ebr. 1. 3. Act. 17. 27.* Loca *Gen. 2. 2. & 1. Cor. 9. 9.* non negant Providentiam; *hic* enim curam Divinam ἀπλῶς non negat, sed κατὰ ἡ, quòd sc. boves non sint tantæ curæ Deo ac homines; *Iste* loquitur de quiete non absolute & simpliciter sic dicta, verùm de quiete secundum quid, quievit non à creatis suâ providentiâ sustentandis & gubernandis, sed no vis mundi partibus ac speciebus creandis. Quanquàm Creatio fuerit libera, Providentia tamen *necessaria* fuit, tum ob creaturarum *indigentiam*, tum, quòd suppositò decretò creandi *necessarium sit: non deserere res conditas*, ut inde gloria Creatoris in conservatione & directione rerum à se conditarum appareat. Providentia non est *discursus* in mente Dei, juxta prius & posterius, neque *motus* in voluntate, nec *nudus & otiosus affectus*, sed *actuosissima rerum administratio*. vid. *Ebr. II. 40.* Providentia tria includit, (1) προγνωσιν, seu rerum *præcognitionem*, (2) προθεσιν, *propositum ac voluntatem prospiciendi*, (3) διοικησιν, *ipsam actionem*. Præscientia, seu προγνωσις est providentiæ oculus, & prædicatur de Deo per ἀνθρώπων ὀπίσθησαν, cum melius *scientia* quàm *præscientia* dicatur. Deus enim extra temporum interval-

intervalla *ἐν τῷ νῦν* æternitatis omnia sibi habet præsentissima. Præ-  
 scientia Dei non affert rebus *immutabilitatem*, non est *necessitans*,  
 sed *infallibilis*, quæ duo accuratè distinguenda sunt. Peccata à  
 Prophetis prædicta, non ideò perpetrantur, quia divinitus prædi-  
 cta, sed ideò prædicta, quia Deus hominum malitiam vidit incur-  
 abilem. Materia seu objectum Providentiæ Divinæ sunt *omnes res*  
*create, maxima, minima, & motus earum qualescunq̄.* Sap. 11. 21.  
*Proverb. 15. 24. Matth. 6. 30. & 10. 29.* Futurorum Contingentium  
*respu. nostri* quidem non est determinata veritas, *respu. Dei* verò  
 habent determinatam veritatem, siquidem Deo, *ut nihil futurum,*  
*ita mihi incertum* est, & sic etiam cadunt sub providentiam divinam.  
 Peccata cadunt sub providentiam Divinam non ratione *effectus*, &  
*proprie*, sed ratione *objecti*, circa quod quòcunque modò versatur;  
 non *effectivè*, vel *approbativè*, sed *permissivè & directivè*. Termi-  
 num vitæ humanæ sive is *naturalis* sit, ex successivo deliquio virium,  
 & defectu caloris nativi, nec non exarescentia humiditatis, sive *violenti-*  
*tus*, Deus non solùm infallibiliter præscivit per *Pf. 139. 16.* sed etiam  
 præordinavit hujus infitis naturæ viribus decursum vel *relinquere*,  
 vel eum *prorogare*, *Exod. 20. 12. 2. Reg. 20. 1.* vel etiam *abbreviare*;  
 Idque vel ex *singulari gratia*, *Sap. 4. 10.* vel ex *vindicativa justitia*.  
 vid. B. Hülsem. *Breviar. p. 76. th. 14.* Forma Providentiæ con-  
 sistit in eo, quòd Deus omnia *sapientissimè Pf. 104. 24. Sap. 8. 1.*  
*Rom. 1. 19. potenter, Ebr. 1. 3. Sap. 8. 1. & optimè, Sap. 8. 1. Rom. 8. 28.*  
 gubernet & conservet. Gubernat autem aliter naturas *ἀλόγως*,  
 quæ aliter agere non possunt, aliter *λογικῶς*, quæ consiliò agunt, &  
 dum agunt, vel non agere, vel aliter agere poterant. Harum actio-  
 nes sunt vel *bonæ* vel *malæ*. Ad has omnes concurrit, in quantum  
 sunt *naturales*; Bonas gubernat Deus *κατ' εὐδοκίαν καὶ ἐνέργειαν*, ap-  
 probando, juvando, promovendo. vid. *Act. 17. 28. Phil. 2. 13. 2. Cor.*  
*3. 5. 2. Thess. 2. ult.* Ad malas actiones concurrit non approbando aut  
 juvando, sed vel *impediendo*, (& id quidem vel *physicè*, *Gen. 19. 11.*  
*coll. Num. 22. 31.* vel *moraliter* per prohibitiones,) vel *permittendo*,  
 (permissione non *Ethicâ*, quæ est concessio, sed) *Physicâ*, non-im-  
 pediendò sc: lege Heunisch. *Thesaur. Disp. p. 189. Dist. 9.* ad finem  
 bonum *dirigendo. Es. 19. 5. Rom. 8. 28. & statuendo, quomodo & quo-*  
m. q̄.

permittere velit. conf. etiam B. Scherz. *System. pag. 135. seqq.*  
 Finis Providentiæ est gloria divinæ bonitatis, Sanctitatis & justitiæ,  
 ut & universi hujus, imprimis piorum utilitas.

LOCUS DE PECCATO.

De varia *Etymologia & Synonymia* peccati consulantur B.  
 Dietrich. *Inst. Catech. p. 231.* Ebart. *p. 222.* König. *Theol. Posit. p. 76.*  
 Peccatum aliud est *primum*, aliud *ex primo ortum*, aliud *originale*,  
 aliud *actuale*, aliud *omissionis*, aliud *commissionis*, aliud *remissibile*,  
 aliud *irremissibile* &c. Aliter consideratur in *sensu philosophico*,  
 aliter *Theologico*. In *philosophico* accipitur vel pro *peccato naturali*,  
 v.g. si natura aberrat, vel *moralis*. In *sensu Theologico* accipitur vel  
*impropriè* pro sacrificio expiatorio pro peccato, ut *Hos. 4, 18*, vel  
*propriè*, pro vitioso actu & qualitate vitiosa. Peccatum non est *nu-*  
*da à bono abstractio*, sed insuper ad malum *inclinatio & propensio*.  
 Est *privatio vera*, sed non *mera*. vid. *Brevic. Scherz. p. 106.* Causæ  
 nomen hoc in loco sumitur *ἐν πλάτει*, pro omni eo, quod ad pec-  
 catum efficiendum concurrat quoquomodo; *ἀνεβῶς* vel accuratè  
 si loqui velimus, mali causa non tam *efficiens*, quam *deficiens* quæ-  
 renda est. Interim tamen cum *ἀνεβῶς* philosophica in articulo  
 fidei non semper locum inveniat, nihil impedit, quò minùs cum  
 Theologis peccato etiam causas quasdam assignare queamus.  
 Causa peccati *impellens & principalis* est Satanus. *Joh. 8. 44. 1. Cor.*  
*4. 4. Joh. 2. 8.* Causa *consentiens & adjuvans* est liberæ naturæ vo-  
 luntas, in agendo sponte suâ deficiens, & ad malum declinans. Deus  
 nullò genere causarum verarum peccati causa dici potest, neque  
 quoad *materiale peccati*, quâ peccatum est, (v.g. odii, invidiæ, be-  
 stialitatis &c.) abs quarum actionum materia proxima vitiositas  
 est inseparabilis; neque quoad *formale*; sed peccatum extremè odit,  
 detestatur, punit ac prohibet; *Neq; potest efficienter id velle fieri,*  
*quod serio ac severè prohibet fieri.* confer *Becan. Compend. Manual.*  
*p. 398.* *Reformatos* statuere Deum esse causam peccati vel *per se*,  
 vel *per accidens*, vel *directè*, vel *indirectè* ipsi negant ac pernegant;  
 vid. *thes. illorum in Colloquio Charitat. Thorun.* exhibendas, ubi in-  
 quiunt: *Deus nequaquam est causa illius peccati, sed fons & autor*  
*omnis boni, osor verò & ultor mali; Mera igitur calumnia est, cum*

*Ecclesiis nostris horrendum illud dogma impingitur, quòd Deum faciunt autorem peccati, quam totò pectore detestamur &c. confer D. D. Calov. Histor. Synocr. p. 426. Verùm enim verò, quicquid illi con- querantur, quicquid dicant, ab hoc blasphemo consequente non liberantur, nisi se liberent priùs ac purgent ab illis absurdis antece- dentibus, & duris hypothefibus, imprimis absoluto reprobationis decreto, ex quibus evidenti consequentiâ talia fluunt. Locc: Ef. 45.7. Amos 3. 6. loquantur de malo non culpa seu peccato, verùm pœnae, quod iterum consideratur vel quoad formam ac naturam su- am, & sic Deus eò non delectatur: vel quoad finem & usum, quæ est pœna, & hæc destructio mala est ratione creature patientis quidem, non vero resp. divine justitiæ & legis. confer Heunisch. Thesaur. Disp. p. 191. seqq. Materia seu subjectum peccati non sunt bestia, sed homines, creaturæ rationales. Forma peccati est avopia, illegalitas, disconvenientia vel declinatio à lege. Norma à qua deflectit, est voluntas & lex divina. Finis ex parte Diaboli est Creatoris per peccatum offensio, ex parte hominis, imaginarii ali- cujus boni consecutio. Eventus peccati est reatus seu obligatio ad pœnam, mortem temporalem & æternam. Peccatum hominis primum, est transgressio legis Divinæ facta à protoplastis per Sata- næ deceptionem. Causa lapsûs hujus extrinseca & principalis fuit Satan, quod patet ex alloquio, ipso facto, supplicio, Scripturæ te- stimonio, Sap. 2.24. Apoc. 20.2. serpente ad hoc tanquam instru- mento usus. Serpens ille fuit naturalis, insimul à Diabolo obsessus, diabolò in serpente vocem formante; Pœna tamen, quâ ad come- dendum pulverem, gressumque pronum damnatus est, respectu serpentis fuit improprie sic dicta. Causa interna lapsus est solus ho- mo, spontè non utens viribus concreatis seu imagine divinâ, & posthabitâ lege Dei, seductori potiùs quàm Creatori credens. Vo- luntas non quâ voluntas, sed quâ vitiosa causa assensûs vitiosi fuit; & sic non per se sed per accidens à voluntate fluxit. Intellectus in primo peccato erravit, ratus bonum esse, quod minimè fuit, quod falsum judicium ex persuasionem Diaboli ortum est. Materia seu subjectum hujus lapsûs fuerunt protoplasti. Norma à qua defle- xerunt, fuit interdictum Paradisiacum de non comedendo de ar- bore*

bore

bore scientiæ boni ac mali. *Incredulitatem* primum hominis peccatum statuunt cum B. Luthero Alii, & quidem ex ea ratione, quod Adam non crediderit, vel se moriturum, vel arborem serio prohibitum esse. Alii pro *diffidentia* pugnant. Forma hujus lapsus consistit in violatione interdicti Paradisiaci. Lapsus iste fuit libera declinatio voluntatis & executio operis, contra legem divinam & congenitam perfectionem, citra ullum influxum sensilem vel insensilem, moralem aut physicum decreti aut motus divini. Confer Magnif. Dn. D. Rudrauff. *Sylog. Extens. Loc. de pecc. p. 341. seqq. q. 5.* Hôc lapsu amissa est *concreata imago Divina*, cui penitissima naturæ *depravatio* successit, ignorantia ac cœcitas in mente, aversio & rebellio in voluntate, omniumque facultatum *ἀδυναμία*. Peccatum autem hoc fuisse gravissimum, videmus in statu viatorum. Peccatum ex primo ortum est *labes illa immanis, originalis* dicta, seu absentia boni perfecti inesse debiti, & per naturam inseparabilis adhæsiô mali, abesse debiti. Peccatum originis sumitur *dupliciter*, vel *activè*, pro malo actu, quem commisit homo in paradiso, vel *passivè*, pro malo habitu, quem contraxit primus homo male agendo, & in omnes posteros, solô Christô exceptô, cum ipso semine traduxit ac propagavit. *Illô modô* Kromayero in *Theol. posit. polem. p. 467.* Konig. in *Synops. p. 78.* dicitur *cum Scholasticis: originans, hôc verò originatum.* Nomen quidem peccati originalis est *ἀγενεσθητόν*, sed ab Augustino introductum; *Ipsum tamen peccatum originale non est figmentum Augustini, sed solidis Scripturæ fundamentis nititur.* Rom. 5. 12. *seqq.* Gen. 6. 5. & 8, 21. Ps. 14. 3. Ps. 52. 3. Ps. 116. 21, qui tamen non de *actuali mendacio*, ut est vitium Ethicum veritati oppositum, sed de *pronitate ad fallendum* intelligendus est. Adde Job. 14. 4. Es. 48. 8. Eph. 2. 2. Originale peccatum est naturæ humanæ pravitas, quam trahimus ex origine satûs nostri, quô corpus & animam per propaginem ab Adamo accipimus. Peccatum originis esse *positivam qualitatem* claret ex descriptione; Gen 6. 5. ab *inhabitione.* Rom. 7. Eb. 12. 1. *Effectus edit positivos, actualia nim. peccata; à contrarietate justitiæ & peccati originalis.* Subjctum *predicationis* est totum genus humanum, Job. 14. 4. Gen. 6. 5. etiam *embryo in utero materno; A qua pravitate nec conceptio, neque*

*nativi-*

nativitas B. Maria excipienda est. Exceptio n. est facti, adeoq, ab excipiente probanda; Exemptio est speciale privilegium, quod non presumitur inesse, nisi probetur inesse. Et ubi S. Scriptura non excipit, nec nos excipere debemus. Solus Christus hinc excipitur. Subiectum inhesionis totale, est homo, parziale & πρῶτον δεικνόν, anima. Ergo non in appetitu saltem, tanquam inferiore animæ parte, residet. Peccatum originis à parentibus in liberos propagatur, non imitatione aut exemplo, quod volunt Socinn. sed carnali generatione. Psal. 51, 7. Gen. 5 3. Eph. 2. 3. Job. 3. 6. Et anima tanquam sedes peccati potior per traducem propagatur, non de novo creatur. Si enim anima de novo crearetur, sequeretur, Deum esse causam peccati originalis, quod de Deo vel cogitare est blasphemum. Quanquam peccatum orig. corporis & animæ vires, etiam quoad objecta Physica & civilia, debilitaverit, non tamen est hominis substantia. Hæc labe originalis tametsi fructus actuales vel actualia peccata non ederet, tamen est rea æternæ damnationis & cruciatuum. Hinc peccatō hominis Arbitrium, quod ante lapsum erat liberum, post lapsum antequam regeneretur homo est servum, ut quemadmodum mens ea quæ Spiritus Dei sunt percipere non potest, ita nec voluntas ea velle ac perficere queat. Retinuit autem homo post lapsum, aliqualem cognitionem rerum naturalium & moralium, nec non appetitum apparentis boni naturalis ac civilis, sed languidum circa quodcunque bonum verum, saltem naturaliter ac civiliter tale, tam ratione principii intrinseci, quam exercitii. Circa objecta Physica, Oeconomica, Politica & Ethica, seu moralia retinuit voluntas hominis, non solum libertatem à coactione, sed etiam à necessitate, tam generis quam speciei eligendæ, & liberè se habet, & solò appetitu nonnunquam fertur in diversa opposita & contradictoria. Per lapsum determinata est naturalis inclinatio hominis ad malum in genere, Gen. 6, 5. Deum verò determinatione tam Physicâ quam morali determinare, vel flectere influentiâ arcanâ quâdam, sive persuadere hominem ad ejusmodi actionem internam vel externam, à qua vitium inseparabile est, dicere, hæreticum est. Circa objecta fidei Christianæ, intellectus tam ad apprehendendum, quam approbandum veram planè cæcus, I. Cor. 2, 7. voluntas tam quoad facultatem, quam liberta-



bertatem volendi planè extincta, Eph. 2. 1. *Appetitus perversus & abhorrens factus est, Rom. 3. 12.* Et ut B. Schröd. in *Aphor. Theol. Dissert. 6. Coroll. 8. p. 21.* nervosè inquit: *Sic voluntas non-renata velle potest divina, quemadmodum incedere potest, qui pedibus est ligatus.* Homo igitur non-renatus & convertendus ad gratiam Dei apprehendendam suis viribus naturalibus sese applicare, eam amplecti, & verbo Dei assentiri non potest. Neque intellectus, neque voluntas, nec appetitus hominis renati in hac vita ad debitam perfectionem affurgit. 1. Cor. 13. 9. Rom. 7. 14. Peccatum actuale est fructus malæ arboris, sive pravitatis originalis, estque omnis actus, internus & externus, Theoreticus & practicus, non conformis regulæ divini verbi. Ad reatum peccati actualis propriè non requiritur, ut sit formaliter & actu secundò voluntarium, & deliberatione commissum: confer. Rom. 7. 15. *Ubi Apostolus se peccare invitum, & contra directum propositum conqueritur.* Causa peccati actualis per se est tum naturæ nostræ corruptio, tum Satanæ suggestio, confer. Joh. 13. 2. & mundi scandalizatio. Causa per accidens sunt objecta externa in sensus incurrentia, & ad sui abusum impellentia, Gen. 3. 6. Rom. 7. 8. Forma generaliter consistit in ἀνομία, in mali commissione & boni omissione consistens. Ad hac etiam pertinet, quòd aliud peccatum sit voluntarium & contra conscientiam, Rom. 2. 21. aliud involuntarium, Ps. 19. 13. & infirmitatis. Aliud internum, & foràs non erumpens. Matth. 9. 4. aliud externum, vel foràs erumpens. Aliud nostrum, aliud alienum, de quo nos participamus: & nostrum interpretativè vel participativè dicitur. Aliud contra Deum immediatè, aliud contra proximum, contra Deum tamen mediatè. Aliud contra legem, & Evangelium. Aliud clamans, confer. Gen. 4. 10. Exod. 3. 7. Jac. 5. 4. aliud non clamans. Aliud regnans, aliud non-regnans, quod à regenitis mortificatur. Rom. 6. 12. Aliud mortale, non quòd non omne peccatum mortem mereatur, sic enim omne peccatum suâ naturâ est mortale, quia est ἀνομία legi repugnans, eaque maledictionem promerens, sed quòd & meritò & actu mortiferum sit. Aliud veniale, quod fit ex conditione subjecti & eventualiter, conf. B. Hülsem. *Brev. p. 95. th. 10.* Aliud gravius, tum ratione principii, tum ratione objecti, tum ratione materiae. Aliud manifestum, aliud occultum, vel alii vel peccatori ipsi, Aliud in-

D

dura-

*duratio* *conjunctum*, aliud non *conjunctum*, ut in Davide. Aliud *remissum*, aliud non *remissum*. Aliud *remissibile*, quod omne peccatum præter peccatum in Spir. S., aliud *irremissibile*. Aliud in *Filiis hominis*, Matth. 12.22. Aliud in Spir. S. vid Scherz. Syst. p. 161. seqq. Peccatum in Spiritum S. committitur ab hominibus illuminatis in veritate fidei, & internò Spiritus S. testimoniò convictis, negando, blasphemando, persequendo veritatem agnitam, ejusque agnoscendæ media, & pergendo, quantum in ipsis est, in hac malitia. Dicitur peccatum in Spiritum Sanctum, non ratione essentia aut personæ, sed ratione officii ac beneficii, quod Spiritus S. hominibus præstat, veritatem docendo, illuminando, & convertendo corda hominum. Irremissibile vocatur (non respectu Dei, Rom. 5.20. nec respectu meriti Christi, Joh. 1.29. 1. Joh. 2.2. sed) respectu subjecti seu hominis peccantis. Principium peccati in Sp. S. est vel quod, homo adultus & renatus, principium quo, intellectus satis illuminatus, evidenter objectum cognoscens & approbans, voluntas satis libera & minimè inclinata. Materia circa quam est tum Spir. S., tum divina veritas legalis & Evangelica. Forma peccati in Sp. S. consistit in συνδρομῆν ἢ συζυγίᾳ horum trium cumulativè acceptorum, sc. (1) in veritatis divinæ verè cognita, agnita & approbata malitiosa abnegatione; (2) Malitiosè abnegata atroci blasphematione, & (3) atrociter blasphemata (non sophisticâ nec affectivâ, sed) tyrannicâ, hostili & effectivâ oppugnatione; Hiscè tribus positis, ponitur peccatum in Spiritum S., negatis, tollitur, conf. B. Scherz. dissert. de pecc. in Spir. Sp. 49. seqq. Exempla eorum qui peccaverunt in Spiritum S. alia vera, alia dubia, alia planè falsa sunt, unde notanter Idem cit. loc. p. 69. ait: de exemplis (peccatoribus in Sp. S.) judicare difficile, si non planè impossibile est. Et B. Dieter Inst. Catech. Loc. de pecc. p. 257. scribit: De peccato in Sp. S. non temerariè pronuntiandum est. Nec desunt, qui dubitent; an quispiam, qui in Spiritum S. verè peccaverit, nominari possit? B. Scherz. cit. loc. Phariseos tale peccatum commisisse statuit, vid. Matth. 12.32. Quanquàm multi eosdem excusent, dicentes: Phariseos præditos fuisse tantum scientiâ (non spirituali, sed) literali. Julianum Apostatam peccatorem in Sp. S. fuisse, D. Christ. Matthiæ in Theat. Histor. pag. 684. propugnat; lapsus

lapsus enim est, de toto Totus in Totum. Adjunctum inseparabile talis peccatoris est induratio, unde incorrigibilitas, ex qua finalis impenitentia, ad quæ sequitur adjunctum inseparabile ipsius peccati, nim: irremissibilitas. Matth. 12. 32. DEUS remissionem justò judicìo speciei hujus peccati denegavit. Non est orandum pro peccatoribus in Spir. S. reduplicativè; hæ enim preces impiæ essent, 1. Job. 5. 16, qui locus summa totis ingenia, unde citante Kromayer. Theol. posit. polem. p. 521. quidam exposuerunt eundem: Non pro remissione peccati hujus, sed pro taliter peccantium conversione orandum esse. Alii aliter. Simplicissimum verò est, si dicatur: in primitiva Ecclesia durante adhuc donò ἀρχαίσεως πνευμάτων, 1. Cor. 12. 10. hoc habuisse locum. Hodie autem cum charitas omnia speret, 1. Cor. 13. 3. tutissimum esse ex præcepto Apostoli 1. Tim. 2, 1. orare ὑπὲρ πάντων ἀνθρώπων.

LOCUS DE CHRISTO.

Summâ Dei φιλανθρωπία venit in mundum JESUS, non lapsis Angelis, sed solis hominibus, non propter merita nostra, sed ex mero Dei zelo & amore. Hebr. 2. 16. 1. Job. 4. 9. Eph. 2. 4. Positò peccatò & reatu hominis, positâ veracitate Dei circa latam sententiam damnationis: Morte morieris, positâ justitiâ Dei vindicativâ (quam in Deo necessariam esse supra in Loc. de DEO dictum) quâ salvâ, ut ex Scripturis, vid. Gen. 2. 17. Num. 23. 19. Jes. 34. 16. Exod. 20. 7. constat, humanum genus citra omnem satisfactionem non potuit absolvere à culpa, & in gratiam recipere; Positâ denique Dei φιλανθρωπία, non relinquendi sc. hominem citra remedium, sicut relictæ sunt Dæmones; His suppositis incarnatio hæc non solùm conveniens fuit liberationi hominis, sed etiam necessaria. Potuit tamen Deus salvâ justitiâ vindicativâ eligere & ordinare satisfactionis medium, idque de suo largiri, & pro hominibus à Christo satisfactionem accipere. Confer B. Hülf. Brev. p. 134. th. 3. Christo varia in Scripturis attribuuntur nomina: Christus, i. e. unctus, Filius Dei (non adoptivus, vel nuncupativus, vel honoris tantum & dignitatis) Imago Dei (ratione divine nature; Non autem dicitur imago Sp. S. quia à Spiritu S. non est; Et imago Dei quidem) essentialis, naturalis & substantialis. Jesus à Ἰησὺς; Σωτὴρ ἔκ κόσμου, Job.

*Joh. 4. 42. Σωτήριον, Luc. 2. 30. Salvator*, quia omne malum auferendo servat, omneque bonum conferendo salvat; *Salus efficienter acquirens, finaliter conferens, & objectivè summum bonum beatos reddens.* Μεσίτης, *mediatione propria*, quæ respicit tum personam mediam inter Deum & homines, quia est θεάνθρωπος, Deus & homo, tum operationem respectu officii (a) prophetici, confer *Joh. 1. Hebr. 1. Matth. 11. (b) Sacerdotalis*, ubi Deum reconciliat ipse Deus, suo sanguine nos redimens, *Act. 20. (c) Regii*, ubi beneficia nobis acquisita applicat. *Verbum* vel λόγος, (non naturale hominis sermo, vel Spirituale, quod iterum vel vocale, nec tale verbum est Christus, vel visibile, v. g. Scriptura, nec hoc Christo competit, sed) personale; *Messias, Immanuel, primogenitus &c.* Esaias Christo multos assignat titulos, quibus ille in tempore non utebatur, ostensurus, non quomodo Christus esset appellandus, sed qualis, & quoad personam & officium futurus esset. Confer Dn. D. Pfeifferi *Dub. Vex. Scripturae in cap. Es. 9.* adde etiam *pecul. Dissert. B. Scherz. super dicto Es. 9.* Causa efficiens incarnationis est tota SS. Trinitas: Pater mittendo Filium in carnem, carnem adaptando Filio. Filius assumendo semen Abrahæ, *Ebr. 2. 14. Spiritus S.* obumbrando B. Virginem, emundando elevandoque ejus semen supra naturalem vim, ut conciperet Salvatorem, *Luc. 1. 24.* Conceptio Christi de Spiritu S. non fuit generatio ex substantia Spir. S. ob quam Spiritus S. dici possit Christi Pater, sed fuit admiranda productio humane nature, quoad animam & corpus, quam naturam λόγος sibi assumpsit, sibi que univit; vel Christus conceptus est de Spiritu S. non σπερματικώς vel γυνηλικώς, sed δημιουργικώς. Causa impellens Deum, ut mitteret Redemptorem hominibus, ex parte Dei nulla alia fuit, quam (ut supra §. 1. dictum) φιλανθρωπία, quâ stimulante cogitavit de medio reconciliandi homines, idque de suo subministravit; ex parte hominum, eorum miseria. Redemptor noster est, (non nudus Deus, nec nudus homo, sed) θεάνθρωπος Deus & homo. Deus enim, cum sit άπαθής, non potest pati ac mori, nudus homo sufficienter non potest pati ac mori; requirebatur itaque divina humanitas & humana divinitas. An etiam sit αυτόθεος? Quidam citante Kromayer. pag. 183, distinguunt inter

ter

ter ἑστίν & ὑπόστασιν, illò modò dicunt αὐτόθεον, hòc non itè̄m. Alii malunt d. cere αὐτοῦ θεὸς quàm αὐτόθεος. Alii, Dn. D. Rudr. in *Philos. Theol.* p. 34. B. Scherz. *Syst.* p. 71. distinguentes inter id quod est à se, & in se Deus, posteriori modò Filium Dei αὐτόθεον dicunt. Summa: Tutius, iudice cum B. Hülsem. Scherzerò, quæstio hæc seponitur, & ab ea abstinetur, quam negatur. Confer etiam Chemniti *Annot. in Catech. Dietr.* p. 80. *Homini*s vox sumitur (1) pro homine perfectò, suam personam propriam habente & per se subsistente, qualis homo non est Christus, (2) vel pro homine perfectò quidem, suâ propriâ tamen carente personalitate, nec per se, sed in persona Filii Dei subsistente; Talis homo est Christus. Jesum verò (ἡ δόκησεν, ἡ φαντασίαν, αἰτιά) ἐξ ἀληθείας hominem esse, claret itidem ex nomine, vid. *Joh.* 8. 40. *Luc.* 23. 47. *Matth.* 8. 20. &c. ex definitione. Materia incarnationis sunt duæ naturæ, divina (quæ tamen non absolutè, quatenus sc. tribus personis Trin. communis est, sed relatè, cum certo ὑπάρξεως τρόπω accepta, incarnata dicitur) & humana. Subjectum in quo Filius Dei humanam naturam assumpsit est Maria (dicta à מריה amarum mare) αἰσαρθένος, *Es.* 7. 14. *Virginitas* enim Mariæ partum non negat, sed sanctitatem confirmat. An verò Maria manserit virgo post partum, vel an plures enixa fuerit liberos post Christum? Nos prius cum orthodoxa Ecclesia constanter defendimus; Responsione rationes Helvidii, hominis rustici qui vixit in seculo currente 4. ne quidem dignæ sunt. *Luc.* 2. 7. vocatur primogenitus non positivè ratione subsequentium fratrum, sed antecedentium & negativè, quòd nullus eum anteverterit, prout & in V. T. unigeniti pro primogenitis habebantur. *Matth.* 1. 25. Particula ἕως terminum (non fixum sed) continuum significat. Maria uxor Josephi dicitur non tam propter statum, quàm sexum, vel propter desponsationem, more Judæis solenni, ita dicitur, non concubitum. confer. Scherz. & Prückneri *Vindice. Bibl. super h. l.* Cùm Maria totius Christi sit mater, rectè etiam (non tantùm χειρολόγος quod voluit Nestorius, sed) θεοτόκος dicitur. Forma incarnationis consistit in unione (non artificiali, nec symbolica, nec essentiali, sed) hypostatica & personali. Hæc unio autem est exemplum sine exemplo, unio mira, magna, unio nova, singulariter rara, & rarita-

*um singularium singularissima atque rarissima in cœlo ac in terra.*  
 Unio hæc dicitur *personalis*, à termino in quo facta est, nimirum in  
 persona ἡ λόγος; Vel à termino ad quem, aliàs non dicenda esset  
*personalis*, quia non est inter duas personas facta. Filius Dei, propriâ  
 suâ hypostasi communicatâ, Humanitatem personavit, & non - perso-  
 nam personaliter subsistere fecit, actu personali, ut sit ἐνυπόστατος καὶ  
 ἑνωσῶσα ἐν τῷ λόγῳ, & hæc communicatio est vinculum ac fun-  
 damentum hujus unionis. Unio illa nullibi locorum, nisi in utero  
 virginali facta; Interim tamen non est dicenda *localis*, non enim  
 in locum, sed in loco caro fuit assumpta. Facta autem hæc unio ἀε-  
 χωρίως immeabiliter, ἀσυγχύως sine naturarum confusione,  
 ἀτρέπτως inconvertibiliter, ἀδιάσπῳ καὶ ἀχωρίως indistanter &  
 indivulsè seu inseparabiliter. Ex unione personali fluit personæ uni-  
 tas, & constitutio unius ὁφισαμένως. Unde: Quia hypostasis Christi  
 hominis divina est, & ipsius Filii naturalis, ideò etiam Christus homo  
 Filius Dei est (non naturaliter, seu per modum eterne generationis,  
 sed) ex gratia unionis personalis. Ad singularem & inusitatum mo-  
 dum unionis & communicationis inter divinam & humanam na-  
 turam in una hypostasi personæ Christi, jure meritoque modifican-  
 tur *singulares & inusitati modi predicationes*, quibus efferuntur illi  
 modi personalis unionis & communionis, quas propositiones per-  
 sonales appellant. Modus enim predicandi sequitur modum essendi.  
 Hic igitur quia *equalem* aut *similem* in rerum natura non habet,  
 non debet ad regulas ex inductione rerum in natura deprehensarum  
 à Philosophis statutas restringi, sed dirigi ad modos dicendi in S.  
 literis præscriptos. 1. Cor. 2. 12. Propositio *inusitata* propriè nec  
 paronymica, sed *natura ignota* est: Affinitas cum ordinario predican-  
 di modo, non est identitas. Unio personalis hæc duarum in Christo  
 naturarum infert *veram & realem communicationem*, quâ humana  
 natura non tantùm divinæ substantiæ particeps facta est, sed etiam  
 idiomatum divinorum, quæ communicatio unionis person. finis  
 est. Dari talem *communicationem idiomatum*, ex diserta Scripturæ  
 assertionem constat. Humanæ Christi naturæ communicata legitur:  
*omnipotentia*, Dan. 7. 24. Matth. 28. 18. *Omniscientia*, Col. 2. 3. Ef.  
 11. 2. Job. 3. 34. & 16. 30. & 21. 17. 2. Cor. 4. 2. *Omnipresentia*, Matth.  
 18. 20, Eph. 4. 10. *Cultus religioso adorationis*. Job. 5. 22. Phil. 2. 10.  
 Virtus

*Virtus vivificandi. Joh. 6. 50. Joh. 5. 21. Distincta autem hinc sunt communicata majestas omnipresentia, omnipotentia &c. & exercitium illius majestatis per omnipresens &c. dominium. In statu Exinanitionis voluntarie profecit Christus secundum humanam naturam sapientiam, vereque ignoravit nonnulla. Nec anima Christi ab ipsa sui creatione ita repleta fuit scientiam, ut nihil postea didicerit. Christus homo, non per naturam humana intrinsecam proprietatem, aut per aliquam ejus immensitatem, sed per communicatam gloriam voluntarie & certo est omnipresens. Non Ubiquitas, quæ ex immensitate Dei dependet, sed omnipresentia, quæ etiam in Deo voluntaria est, communicata est carni Christi. Matth. 28. 20. Ubiquitatem expansam Physicam & localem, quasi corpus Christi actu secundo sit in omnibus creaturis, adeoque sit per essentiam immensum ac omnipresens æquè ac natura Divina, nos docere verè fingitur; confer. B. Strauch. Vindic. Consens. repet. p. 228. seqq. Presentia Christi est vera ac substantialis, modus verò supernaturalis, mysticus, spiritualis ac rationi impervestigabilis; Assertio veritatis presentie veri corporis, non exprimit modum presentie corporalis. Dignitas recipiendi adorationem religiosam, eandem specie & numero cum adoratione Dei, Christo homini (ubi non est sermo de adoratione separata, quæ humana natura seorsim vel separatim à divina natura & λόγος, & in abstracto adoretur; hæc enim unionem solvit, verum de conjuncta & in concreto. vid. Dn. Heunisch. Thes. Diss. Loc. de Christo, pag. 131. dist. 4.) communicata est. Idiomatum hæc communicatio est realis non verbalis, σωματικῶς (quoad rem, non modum) facta, communicativa, non transfusiva aut transmutativa, multò minùs naturarum exæquativa. Confer Theologos passim. Objectum communicationis Idiomatum est πᾶν πλήρωμα τῆς θεότητος, cum hoc tamen discrimine: ut Spiritualitas, immensitas, æternitas &c. non immediate sint communicatæ humanæ Christi naturæ, ut dici liceat: Caro Christi est Spiritualis, est immensa &c. verum mediate, quoad possessionem, non usurpationem, aut in casu rectè denominationem; Unde rectè dico: Christus secundum humanam naturam est infinite potens, infinite sapiens, est æternam sapientiam, omnipotentiam &c. præditus. Dicuntur aliàs hæc idiomata ἀνεκείνη seu quiescentia,*

tia,

*tia*. Reliqua verò, quæ audiunt ἐνεργητικά, & operationem habent ad extra in creaturis, *immediate* sunt communicata, adeò ut de humana Christi natura rectè prædicetur, *quod sit omnipotens, omniscia, omnipresens &c.* Vid. B. Hülsem *Brev. p. 157. seqq. th. 24.* Omnes propositiones Idiomatice, quarum Scriptura sparsim meminit, ad tres Classes, quæ *tria communicationis genera* solent dici, revocari possunt. *Subiectum* omnium generum communicationis idiomatum est *tota indivulsa persona* σύνθετος, in genere primo quidem secundum naturam utramq; vel alterutram, in secundo, tantum secundum humanam, in tertio non nisi secundum utramq; intellecta. *Predicatum* in primo ἰδίωμα, in secundo ἀξιωμα, in tertio ἀποτέλεσμα est. *Fundamentum subiecti* est personalis unio, *fundamentum predicati, naturarum tùm distinctio, tùm communio.* *Idiomata* in primo genere prædicantur de tota θεανθρώπου persona, *hypostaticè & personaliter in concreto*, quæ distinctis naturis distinctè conveniunt *formaliter ac naturaliter.* *Concretum* hîc est nomen, quò designatur persona, ut Deus, Filius Dei, &c. *Abstractum*, quò designatur natura; ut Deitas, humanitas, caro. Confer. Magnif. Dn. D. Rudr. *Theol. Philos. p. 85 seqq.* *Particula*, v. g. ἡ σάρκα, Rom. 9. 5. in hoc genere, non sunt *separativæ*, sed *distinctivæ & demonstrativæ*, ob quam causam prædicatum subiecto *per se* competat *formaliter.* *Ἀξιωμα* in secundo communicationis genere, prædicantur de Christo homine, non *usitatè, physicè, essentialiter vel accidentaliter*, verùm *hyperphysicè, inusitatè ac personaliter.* *Ἀποτέλεσμα* (ubi ἐνεργημα personale & actio θεανθρώπη secundum utramq; naturam requiritur, ut inde oriatur ἀποτέλεσμα opus salutare, & *Mediatoris beneficium*) in tertio communicationis genere, quod aliis secundum ordinem doctrinæ secundum est, enunciantur de *supposito absq; nota distinctivæ naturarum.* *Ἀποτέλεσμα* est opus perfectum, ubi duo concurrunt agentia, ita, ut *principale agens*, non excludat *principium organicum.* Sic anima videt per oculum, & tamen oculus videt; Faber secatur per ferram & ipsa ferra secatur; Ignis urit per ferrum, & ipsum ferrum urit virtute communicatâ. *Principium quod agendi* hîc est persona quò agit est *natura operationis causa*: nequaquam verò *separata*, sed arctissimè *unita* cùm communicatione ulterius, ut sequatur *actio* (non *separata, distincta, vel humana vel Divina, sed*)

(led)



sed (conjuncta, unica & theandrica. Cùm Christus διπλοῦς ἑστίν  
 secundùm utramq; naturam perficiat, etiam secundùm utramq; na-  
 turam (non solùm divinam, quod voluit Andreas Osiander in Aca-  
 demia Regiomont. Professor Theol. nec solùm humanam, quod cum  
 Stancarò, Mantuano, propugnant Jesuitæ; In loco enim 1. Tim. 2. 5.  
 constructio vocis hominis probè notanda, non enim subjicitur, vel  
 postponitur nominibus, Christi personam denotantibus, sed præponitur  
 illis ac concretum personæ, & totam personam secundùm utramq; na-  
 turam indigitat) est noster Mediator. vid. Gal. 4. 4. 1. Job. 1. 7. & 38.  
 Rom. 5. 10. 2. Cor. 5. 19. Luc. 9. 56. 1. Tim. 2. 5. Hebr. 2. 14, & 4. 15.  
 Finis communicationis Idiomatum est διπλοῦς ἑστίν triplicis officii;  
 Sacerdotali enim oblatione salutem nobis acquisivit, Propheticâ fun-  
 ctione annunciavit, & Regali munere confert ac tuetur. Confer. B.  
 Scherz. Brevic. Theol. p. 54. Functio Christi secundùm officium  
 Propheticum secundaria est legis latæ expositio, non perfectio, multo  
 minùs novæ latio; primaria verò Evangelii prædicatio. Functio  
 Christi secundùm officium Sacerdotale, est monadica sacrificatio,  
 (unde Melchisedecianus & monadicus Sacerdos est, vid. Esa. 63. 3.  
 ad quem locum Non nemo Pontific. ita commentatur: Non fuit  
 vir tecum sed mulier; confer. etiam Dent. 34. 6. Act. 4. 12.) Sui  
 ipsius oblatio, (unde non tantùm non peccavit, vid. Job. 8. 46. sed &  
 impeccabilis fuit. Ebr. 7. 26. Nec Christus totus, nec materia proxi-  
 ma & adæquata humanæ Christi naturæ fuit infecta labè Adamiti-  
 cã. Luc. 1. 35.) ad dextram Patris intercessio. Non autem depreca-  
 toria flexis genibus peragenda supplicatio, sed statum gloriosum decens  
 interpellatio, Christo tribuenda est. Objectum hujus intercessionis  
 secundùm voluntatem antecedentem, & generale, sunt omnes omninò  
 homines, vid. Job. 3. 18. 1. Tim. 4. 10. 2. Pet. 2. 1. 1. Job. 1. 7. Objectum  
 speciale & secundùm voluntatem consequentem soli electi, quod etiam  
 notandum ad Job. 17. 9. Intercedit verò pro nobis usq; ad con-  
 summationem seculi, fructu tamen in omnem aternitatem duraturò.  
 Intercessionis fundamentum est meritum ac satisfactio, ubi subiectum  
 exigens satisfactionem fuit Deus Iratus, subiectum satisfactionem  
 præstans Christus innocens, ratione principii quod θεάνθρωπος; prin-  
 cipium quo est utraq; θεάνθρωπος natura; satisfactionis objectum est

E

omne

omne id, pro quo est cuius gratia satisfactio per Christum, facta est, quod vel reale vel personale; Reale sunt omnes culpa ab hominibus contracta, peccatum origin. ac actuale, quodcumq; meri est viatoris, omnes etiam pœna temporales ac aeternae ab omnibus hominibus sufferendae; Personale sunt (1) homines, (2) soli, (Ergò non Angeli, nec ipse Christus) (3) omnes (E. & Maria etiam reprobi.) Actus satisfactorius est Exinanitio, quæ continet Deiformitatis abdicationem, formæ servilis assumptionem, & obedientiam vitæ ac mortis. Modus; respectu exactoris satisfactio fuit rigidissima. (Quamquam enim persona satisfaciens, & medium satisfaciendi sic constituta sint ex favore Dei, non tamen valor satisfactionis acceptilatus ac aestimatus fuit juxta favorem Dei.) Respectu satisfactoris plenissima; Finis ac fructus est à culpa ac pœna perfectissima liberatio, & salutis aeternæ omnimoda acquisitio. confer. omninò B. Scherz. Diss. pecul. super dicto Ps. 49. *Quæ non rapui* &c. Functio Christi secundum officium Regium consistit in eo, quòd omnia in cœlo ac terra gubernat, ecclesiam per vocationem ac conservationem regit, redibit ad iudicium, (ante quod iudicium, alius visibilis reditus, & regimen Christi in his terris non sunt expectanda) glorificat fideles, & damnat infideles, &c. Modus pro statu diverso exinan. & exaltat. variat. Status Christi est accidentaria conditio secundum humanam naturam, quæ sola mutationem recipere, & majestatem divinam abdicare & exercere potest. Quemadmodum igitur in humana Christi natura duplex datur status: naturalis ex conditione essentiæ, & personalis ex conditione personæ, ita & hic est vel humilis in exinanitione, vel sublimis in exaltatione. Status Exinanitionis respicit (1) Subjectum, Christum sc. secundum humanam naturam. (2) Objectum, quod est communicata Majestas respectu universalis exercitii. (3) Formam, quæ est tum communicatæ Majestatis (non occultatio, sed) κένωσις evacuatio, (i. e. ommissio, retractio, inhibitio actus plenarii, perpetui ac universalis) tum formæ servilis (per quam non substantia, sed status, vel conditio humanæ naturæ intelligitur) assumptio. (4) Scopum, qui est passio vicaria Redemptoris, (5) terminum, qui est mors. Formula Concordiæ utitur vocabulo occultationis & dissimulationis, sed non utitur ut causæ illorum faveat, qui majestatis occult-

occultum exercitium profitentur incessans, nec ut neget exinanitionis veritatem, sed ut ostendat: exinanitionem non tollere ipsam communicatæ Majestatis possessionem. Terminus Exinanitionis, ut modò dictum, est mors, cujus forma in vero animæ discessu à corpore (non in sola λύσει) consistebat; hæc ipsa tamen non soluta fuit unio personalis, tantùm naturalis inter corpus & animam. Licet corpus Christi, verè mortuum (anima enim ab eo separata fuit) exstiterit, minimè tamen dicendum est cadaver. Ad cadaver enim non tantùm requiritur mors & sepultura, sed & cinefactio, quam Christus non vidit, Ps. 16. 10. Ex Matth. 24. 28. Corpus Christi nequaquam cadaver dici potest, non enim quod quocunq; modò cadit, propterea cadaver propriè dictum est, & putrefactioni obnoxium; Nedum corpus Christi, quod per triduum etiam in persone ἑποσίσει mansit. Neque citatò locò σώμα Salvatoris dicitur πῶμα; cùm aliud sit proverbialis locutio, aliud verò exacta comparatio & accurata appellatio. Tùm ne corpora quidem Sanctorum, quæ templum Spiritus S. fuerunt, & reparantur per cinefactionem ad gloriam, possunt in foro Christianorum dici cadavera. Mortem excipit resurrectio, cujus principium tum Deus, tum Christus Ipse; Forma in animæ redunitione cum corpore consistit; Finis est hostium triumphatio: Os. 13. 14. I. Cor. 15. 54. Eph. 4. 8. Col. 2. 15. piorum ad vitam æternam resuscitatio. Consequens resurrectionis est exaltatio, quæ est solennis inronisatio Christi resuscitati ad plenam cœlestis Imperii usurpationem ac gubernationem in cœlo ac in terra; Ubi subiectum quod est tota persona, subiectum quo, humana Christi natura in unione considerata. Forma est μορφῆς θεῆς, seu gloriæ ac majestatis divine, ad liberam, plenariam, omnipresentem, omnipotentem, omnimodam, incessantem & universalem χεῖσιν (κτῆσιν enim jam à primo unionis momento habuit) realis & simultanea collatio. Finis est genusflexio & ab omni lingua glorificatio. Phil. 2. 11. Primum Exaltationis gradum Descensum Christi ad Inferos plerique ponunt Theologi. Cujus veritas nobis extra controversiam est, quis enim nisi infidelis negaverit apud Inferos fuisse Christum, inquit B. Augustinus. Descensus Christi ad inferos consideratur hîc non metaphoricus, sed proprius & realis, non exinaniti, sed

*exalti, non miseri, sed gloriosi, non patientis, sed felicissimi victoris u-*  
*niversæ infernalis miseriæ & potentia Diabolicæ, & infinitâ maje-*  
*stare ad triumphum hostes alligantis. Subiectum est totus Christus ζω-*  
*οιωθησ, nam qui ascendit, etiam descendit. Eph. 4. Tempus descensus,*  
*est interstitium inter vivificationem & resurrectionem; & satis est, si*  
*sciamus: Christum θεῶν θεῶν verè & realiter in infernum de-*  
*scendisse, infernum omnibus credentibus destruxisse, nosq; per ipsum è*  
*potestate Satanae & mortis, ab aeterna damnatione, atq; adeo è faucibus*  
*inferni ereptos esse; Quò enim modò speciali hac effecta sint, non curiosè*  
*scrutemur, sed hujus rei cognitionem alteri seculo reservemus, ubi non*  
*modò hoc mysterium, sed & alia multa in hac vita simpliciter à nobis*  
*credenda revelabuntur. Finis est predicatio, 1. Pet. 3. 19. non Evan-*  
*gelica, sed terrificæ, legalis & realis, quâ se mortis ac inferni victo-*  
*rem ostendit, damnatosq; ἀπιστίας damnavit. Secundus exalta-*  
*tionis gradus est, ad cælos ascensio, Act. 1. 9. seqq. quæ connotat*  
*quidem visibilem, Christi ascensionem ad sedem beatorum, quia est*  
*necessarium antecedens sessionis ad dextram Dei; primariò verò*  
*denotat, aditum ad ipsam infinitæ Majestatis usum plenarium &*  
*perpetuum. Act. 2. 34. Subiectum quod ascendit est tota perso-*  
*na, subiectum quo, natura humana, secundum quam discipuli eum*  
*viderunt. Forma continet progressionem in altum, realem πόνδ-*  
*σιν, ἀνάλυσιν & καὶ ὀικονομίαν usq; ad nubes localem atque succes-*  
*sivam Δείξασιν ac ἀναφορὰν. Terminus non est locus physicus, sed*  
*πᾶς cælestis. Finis est plenaria majestatis infinitæ usurpatio, tum ut*  
*locum nobis pararet, Advocatus noster esset & Spiritum S. Eccle-*  
*siae suæ mitteret. Tertius gradus exaltationis & consequens ascen-*  
*sionis est ad dextram Dei ( quæ dupliciter consideratur vel ratione*  
*quidditatis, & sic est ipsa Majestas divina, à qua thronus Dei Apoc.*  
*3. 21. non re sed ratione differt, sicut majestas & potentia divina;*  
*Ratione qualitatis est ipse thronus Dei (1) spiritualis & illocalis Matt.*  
*25. 31. (2) gloriosus, Dan. 7. 9. Ezech. 1. 26. (3) omniprensens, Es. 66. 1.*  
*(4) infinitus & aternus. Hebr. 4. 16) sessio. ( ubi tamen ἵο sedere non*  
*accipitur propriè, prout dispositionem corporis notat, sed metapho-*  
*ricè.) Subiectum est Persona θεῶν θεῶν. Ebr. 12. Matth. 22. 42.*  
*Relatum est dextra Dei (non absolute, sed) relatè Dei Patris, non*  
*ipsius*

ipsius Filii vel Spiritus S. Finis hujus sessionis est omnipotens ac omnipresens regimen, in Ecclesie gubernatione, conservatione, protectione, (Ps. 110. 2. Dan. 10. 21. Eph. 1. 22.) hostium subiugatione (Ps. 110. 1. 1. Cor. 15. 24.) mortuorum suscitatione (Job. 5. 27.) eorum cum viventibus iudicatione (2. Tim. 4. 1.) piorum glorificatione (Phil. 3, ult.) & impiorum cum Diabolis damnatione consistens. An Filius Dei etiam in carnem & hunc mundum venisset, si Protoplasti non peccassent? Quamvis à Pontific. Calvin. & Socinn. aliqui affirmativam teneant, nos tamen negamus cum Orthodoxis, quia Filius Dei missus est ut esset JESUS (quod si non latinius, ἐμφαλικοῦ τέρους tamen) Salvator (quàm Servator redditur) qui sc. liberaret populum à peccatis suis. Matth. 1. 21. Quia venit, ut quærat & servet, quod perierat, Matth. 18. 11. Ubi ergò nullus fuisset peccator, ubi nihil perditum, ibi non opus fuisset Redemptor, quærens & Salvator. Ubi nec morbus nec agrotus, ad quid Medicus? Cessante enim fine, cessat & ratio finis. Verbò: nisi contraxissemus maledictionem in Adamo primo, non indignissemus benedictionem in Adamo secundo. Misericordia Dei presupponit obiectum miserum. Conf. B. Scherz. pecul. diff. super dicto Es. 9. 7.

LOCUS DE LEGE.

Vocabulum LEGIS accipitur (1) pro imperio seu vi ad aliquid impellente, (2) pro nature serie ac ordine, (3) pro præscripto, (4) pro religionis regula; Sumitur etiam (1) generaliter pro tota S. Scriptura, Ps. 4. 2. Es. 2. 3. (2) Specialiter pro V. T. in genere, (3) specialius, pro Genesi, (Gal. 4. 21.) Exodo, (Matth. 12. 15.) Levitico (Job. 8. 5.) Numeris, (Hebr. 7. 6.) Deuteronomio, (Job. 7. 21.) toto pentateucho, (Luc. 24. 44.) Leges ratione cause efficientis, sunt vel divinæ, vel humanæ, quæ vim habent obligandi non ab authoritate humana à qua feruntur; sed dependenter à Deo, à quo omnis potestas est. Ratione forme, lex est vel ἡ γράφειν, vel ἀγγελειν. Ratione materie, leges præcepta continent vel affirmativa vel negativa. Ratione obiectorum, lex est vel politica vel Ecclesiastica. Conf. Autores passim. Lex Divina est vel ἐμφυλι, impressa seu cordibus hominem inscripta, vel θεόσαλη expressa & à Mose præscripta. Hæc iterum vel æterna (æterna autem dicitur, non ratione patefactionis vel promulgationis sed ratione febove, cujus mentem & vo-

luntatem æternam atque essentiam exprimit, & ratione obligationis) ut *lex moralis*, vel *temporaria*, (quia ad N. T. statum usque durare debuerunt) quæ vel *ceremonialis* vel *forensis*. Causa efficiens principalis legum est *Deus*. Causa impulsiva cur Deus legem expressam repetere voluit, est, quia *notitia naturalis in creatione hominum mentibus indita oblitterata fuit, & non nisi tennes reliquæ remanserunt*. Causam ministerialis legum θεοσκήτωρ sunt *Angeli sancti*, Gal. 3. 19. Act. 7. 5. 3. *Moses & Propheta in V. Christus & Apostoli in N. T.* Angeli quidem ratione primæ publicationis: Hi vero ratione repetitionis & explicationis. Materia pro diversitate legum quoque diversa est. Materia legis naturalis sunt sic dicta *principia prima practica, naturâ nota*. Materia legis *Moralis* sunt ipsa legis *moralis præcepta*, numerò decem, divinâ distinctione accuratè distincta. Materia legis *ceremonialis* sunt tum *personæ*, tum *res*, v. g. *cibus*, *vestitus & habitus corporis*, *sacramenta & sacrificia*, *loca sacra*, *tempus sacrum &c.* Materia legis *forensis*, sunt quæcunq̄ue *res forenses* ad *politiam judaicam* spectantes. *Objectum* cui lætæ sunt leges sunt *soli homines*. An *juris naturalis* objectum etiam sint *bruta*? *J*Cui *jus nature* definiunt: *jus nature est, quod natura omnia animalia docuit*. Dicunt illi illum *instinctum brutorum esse jus nature* non univocè sed *analogicè*, i. e. non quòd ipsum jus in illis reperiaur, sed quia tale, quod quando in homine est, jus dicitur. confer. *Hornej. p. 589.* Verùm non accuratè. *Quomodo enim id jus dicitur, quod jus non esse ipsi fatentur? Negatur igitur quæstio. Bos cornupeta quidem lapidabatur, non verò propter se ipsum, sed propter homines, ad detestationem homicidii testandam.* V. B. Scherz. *Brev. Eust. p. 147.* Q. 62. *Forma legis naturalis est vis directiva & obligativa hominis cordi per naturâ impress.* *Forma legis moralis est vis directiva ac coactiva circa faciendâ & fugiendâ (hinc præcepta alia affirmativa, quæ semper sed non pro-semper, & negativa quæ pro-semper obligant, affirmativa licita præcipiunt, negativa illicita prohibent. Confer. B. Scherz. System p. 264. §. 7.) moralia, conscientiam ad obedientiam perfectissimam (nobis tamen impossibilem) & nisi hæc præstetur, prævaricatores ad pœnas exquisitissimas, temporales juxta ac æternas obligant.* *Forma legis ceremonialis est vis directiva ac coactiva temporaria circa ritus Ecclesiasticos.* *Forma legis forensis est vis dire-*

*directiva ac coactiva temporaria* circa forensia. *Finis legis naturalis* est *directio* morum & externæ disciplinæ, politicæ societatis *conservatio*; tum etiam ἀναπολόγησις eorum, qui in scelera contra dictamen rectæ rationis connatæ ruunt. *Finis legis moralis* est *vita æterna*, quam promisit sub *conditione perfectissima impletionis*, ἀδυναμίας nostræ agnitio &c. Quamquam verò lex perfectè obedientibus vitam æternam juxta gratiam promittentis promittat, ex *decreto tamen Dei, fundato in Ipsius omniscientia: legem sc. ab homine peccatore nunquam impletum iri vel impleri posse, non debuit justificare*, sed dirigere tantùm & coercere actiones & passiones, monstrare peccatum & ducere ad Christum. *Finis legis ceremonialis* est *beneficiorum Christi adumbratio*, eorundem mediantibus Sacramentis *applicatio*, commonefactio de peccato, ἐνταξία in actionibus Ecclesiasticis. &c. *Finis legis forensis* erat, ut coerceretur petulantia populi duræ cervicis, & peculiari caractere signaretur respublica, in qua verus Dei cultus conservari debebat. Quod *proprie legis* est, pertinet ad *formam specificam Veteris*, quod *Evangelii* ad *formam specificam N.T.* Licet autem vulgò *tempus V.T.* dicatur: *omnis ætas ante Christum exhibitum, per vim tamen N.T. salvati sunt, quotquot unquam salvati sunt.*

LOCUS DE EVANGELIO.

*Etymologia Evangelii* passim obvia est. *Evangelium* accipitur vel *generaliter*, pro tota doctrina N.T. & gratia & legis dogmata complectente, *Marc. 1.14. & 16.15. Luc. 9.6. Rom. 2.16.* vel *specialiter*, pro annunciatione gratiæ exhibendi Messia. *Esai. 40.9. Rom. 10.6.* vel *specialissime*, pro concione de Messia jam exhibito. *Marc. 1.1. Rom. 1.1.* Conferantur præter *Dietr. Instit. Catech. p. 283. seqq. Ebartum p. 326. seqq. König. Synops. p. 229. seqq. Scherz. Syst. p. 277.* *Evangelium differt à lege specie*, quòd lex pro conditione pacti requirebat aliquid faciendum ab homine; Evangelium nihil operis ab homine requirit præstandum, tanquam ullò modò inductivum præmii, sed tantùm promittit. *Rom. 4. 2. & 10. 5.* vid. *pecul. Diss. Kromayer. de pacto leg. & Ev. Doctrina Evangelii*, de gratuita remissione peccatorum per Christum, *nota etiam fuit*, quicquid ogganniant *Socinn.* (quoad doctrinam, per quam fide

fide apprehensam Patres perinde, ut nos in N. T. salvati fuerunt, *Act. 15.* licet non quoad historiam, quæ cum prædicatione Johannis B. sumpsit initium) in V. T. vid. *Gen. 3. 15.* ubi continetur primum Evangelium, cujus verba etsi *ἡ γὰρ ῥίζα* non repetantur in N. T. habentur tamen *quoad sensum*, ut *1. Job. 3. 8.* Causa Efficiens Evangelii *Principalis* est *DEUS unigenitus, Angelus Increatus, Gen. 22. 18.* (quod verò ille *Angelus* fuerit *increatus*, patet ex *juramento*, quod divinum fuit, *propria appellatione & benedictione*, quæ benedictio totius generis humani in semine benedicto non est effectus cujusdam Angeli creati; confer. B. Scherz. *Syst. p. 279.* Contrariam thesin suam cum *Pontif. Calvino & Sectariis Judæis Photin. facere Novatores supra loc. de Angelis* dictum. vid. etiam B. Strauch. *Vindicc. C. R. p. 110. seqq.*) postea in carne manifestatus. *Marc. 1. 14. Ebr. 1. 1.* Causæ *Instrumentales* sunt *Prophetae*, per *Ebr. 1. 1. Actor. 10. 43. Apostoli & Evangelista*, quod ex historia Evangelica & universo N. T. patet. *Angeli etiam boni*, (qualis *nativitatis Messiae* ebuccinator fuit,) nunquam *Angeli mali*, quod constat ex *prohibitione Christi, Marc. 1. 24.* (ubi & verà prædicare Christus ipsos prohibuit) & *Pauli, Actor. 16. 7.* vid. B. Hülsem. *Brev. p. 1. §. 1.* Causa *organica* per quam salutariter recipitur Evangelium est *fides. Job. 3. 16.* Subiectum cui offerendæ *inestimabiles Evangelii gaza*, ex Dei intentione (quâ neminem *absolutò* vel *arcanò odiò* quòdam excludit, *1. Tim. 2. 4. 2. Pet. 3. 9.*) *omnes omninò homines*, actu autem *applicantur tantùm credentibus.* Offeruntur nobis in Evangelio *Meritum Christi, & eòdem parta beneficia.* Forma consistit in eo, quòd sit *promissio gratiæ merè gratuita. Rom. 3. 24. & 4. 13 Gal. 3. 18. Act. 20. 24. Luc. 2. 2.* An etiam sit *conco* *pœnitentiæ*? Respondent Theologi distinguendo inter *vocem Evangelii sumptam generaliter & ὁλικῶς*, pro tota doctrina, quæ à Christo & Apostolis est proposita, sic dici posse: *esse conco* *pœnitentiæ*; Et *specialiter* in propriissima significatione, *quatenus nimirum legi opponitur*, sic negant; Evangelium enim tantùm considerat *promissionem de gratuita peccatorum remissione*, propter Christum fide apprehensum. Addunt distinctionem *inter pœnitentiã acceptam totaliter* pro tota hominis conversione, & *partialiter pro altera parte* conversionis nimirum

con-



contritione; hōc modō negant, illō concedunt. Anunciatio Evangelii omnibus facta est hominibus, quod probat universalitas (1) Principii, universalis misericordiae Dei Patris, universalis meriti Christi, & universalis officii Spiritūs S. (2) subjecti, in Ecclesia paradisiaca per Protevangelium, Gen. 3. 15. in Ecclesia post diluvianā, Gen. 9. in Ecclesia N. T. plantanda. Matth. 28. 19. Marc. 16. 15. Act. 17. 30. (3) temporis, (4) loci, (& inde B. Hülsem. Brev. p. 181. §. 4. voluntatem communicandi salutis media, Deum traducere in actum per universalem de Christo famam, dicit;) (5) obligationis, quā sub aeternae damnationis poena omnes tenentur Evangelio credere. confer omninō latiūs hęc deducentem B. Schertz. Syst. p. 287. & seqq. Finis Evangelii respectu Dei, Ipsius gloria. 2. Cor. 4. 4. respectu hominum, eorum salus 1. Pet. 1. 9. tum etiam regeneratio, 1. Pet. 2. 23. iustificatio, Luc. 1. 27. Rom. 3. 21. Ephes. 6. 15. & sanctificatio cum annexis.

LOCUS

DE

CONVERSIONE PER POENITENTIAM.

Vox Pœnitentiae hīc non accipitur eō sensu, quō Deo Ipsi Gen. 8. 7. 1. Sam. 15. 3. & c. ἀνθρωποπαθῶς tribuitur, sed quatenus hominī competit. Sumitur vel generaliter, ubi quaecunque consilii immutationem denotat. Exod. 13. 17. coll. Ebr. 12. 17. ubi retractationem consilii significat; vel specialiter pro conversione ad Deum, & hōc modō vicissim (α) pro externis tantum signis, vel seria vel simulata conversionis. Matth. 11. 20. vel (β) pro internis conversionis motibus, idque rursus vel (κ) ὀλικῶς, pro tota hominis conversione. Act. 9. 18. Matth. 9. 10. Vel (γ) μερικῶς, pro sola contritione, fidei contradistincta, ut Act. 20. 21. Marc. 1. 15. Pœnitentia alia est ordinaria, communis & quotidiana, quam omnes pios per totam vitam agere decet, alia extraordinaria, quæ vel publica est, vel privata; Alia pœnitentia seu conversio activa, alia passiva. Jer. 31. 18. Dari pœnitentiam, dictis (tum hortantibus, Joel. 2. 13. Jer. 3. 12. Matth. 3. 2. Act. 17. 10. Luc. 24. 47. tum promittentibus, Mal. 3. 7. Ezech. 33. 11. Jer. 17. 8. Job. 20. 23. tum comminatibus, Luc. 13. 5.) & exemplis (quorum magna nubes est) constat. confer.

F

B. Schertz.

Syst. p. 293. Pœnitentia non est *Sacramentum propriissimè, specia-*  
*lissimè ac strictè sic dictum*, quantum sc. in ratione sacramentali con-  
 v. niant Baptismus & S. Cœna; *impropriè* quidem ac in *generaliore*  
 quadam *significatione*, nempe respectu *finis*, quem cum Sacramen-  
 tis propriè dictis communem habet, dici potest; Et sic etiam pœni-  
 tentiæ ab *Apologia August. Confess.* conceditur, Habet *signum exter-*  
*num*, verùm (non *substantiale*, quod ad Sacramentum propriissi-  
 mè dictum requiritur, sed) *accidentale*, quod non sufficit, non *de-*  
*terminatum*, quòd sc. à Christo sit institutum, quale in institutione  
*Job. 20. 22.* non reperitur, sed *indeterminatum*. vid. Magnif. Dn.  
 Rudrauff. Syll. p. 289. seqq. Causa Efficiens principalis pœ-  
 nitentiæ est *Deus* (non *iratus*, sed) *gratiosus* propter Christum.  
*2. Tim. 2, 25. Deut. 29. 4. Jer. 31. 18. Ebr. 8.* Causa *instrumen-*  
*talis* est verbum Dei, *Lex & Evangelium*; Nam etiam legis terror  
 ex intentione Dei salutaris est. *Rom. 2.* Propriè loquendo, *homo nul-*  
*lò modò est causa procreans pœnitentiam*, neque ullius partis *tanquam*  
*naturali instinctu provocans aut eliciens pœnitentiam*, sed *subjectum*  
*patiens*, quoad *receptionem facultatum pœnitendi*. *Agens* autem  
*quoad exercitium*, sed per *recens acceptas facultates super naturales*,  
 non *naturales*: confer. B. Hülsem. *Brev. p. 199. seqq.* Materia seu  
*objectum pœnitentiæ* circa quod versatur est *peccatum originale, P. s.*  
*§ 1. 3. & actuale*, cuiuscunq; qualitatis, sive sit *imperfectio, omissio-*  
*nis vel commissionis*. *Partes Pœnitentiæ* due sunt: *contritio, & Fides*.  
 Requisitum *antecedens*, pœnitentiæ est *contritio, dolor & detestatio*  
 peccati, sistens proæreticam continuationem peccandi, & remo-  
 vens incapacitatem & obstacula remissionis peccatorum, sc. opi-  
 nionem non indigentiam, & studium pergendi in peccatis. Ad hanc  
 autem requiruntur *tria*: ( $\alpha$ ) *seria peccatorum agnitio*, ( $\beta$ ) *eorun-*  
*dem detestatio*, ( $\gamma$ ) *de iisdem dolor*. *Essentiale constituens pœni-*  
*tentiam* est *Fides*, quæ ex agnita divini verbi veritate per Spiritum S.,  
 divinæ gratiæ seu misericordiæ per Christum, in promissione Evan-  
 gelica, est apprehensio ad vitam. Consideratur *fides tripliciter* (1)  
*ratione nature*, secundum quam comprehendit: *notitiam propriam,*  
*distinctam, expressam atque evidentem, assensum*, quæ duo tamen  
 non sufficiunt ad veram fidem salvificam, nisi accedat & *fiducia*;  
 (2) *Prim-*

(2) *Principii*, quod est *Evangelium*; (3) *Objecti*, quod est *Christus*, ut inter Deum & hominem offendentem *Mediator*, cum merito suo apprehendendus. Forma *pœnitentiæ* consistit in *motu positivo & privativo cordis & affectuum*; *Positivo doloris & contritionis*, quam Deus per legis officium excitat. *Privativò ab infidelitate & impietate tanquàm termino à quo, ad regenerationem, & renovationem tanquàm terminum ad quem*: Mediante *motu positivo* fiduciæ in meritum & satisfactionem Christi, tanquàm *causam meritoriam remissionis peccatorum, restitutionis in gratiam Dei, & renovationis*. Finis seu *effectus proximus pœnitentiæ* est *peccatorum remissio, in gratiam Dei receptio, seu unò verbò justificatio*. Ps. 32. 5. Luc. 18. 14. *Effectus mediatus, est unio cum Christo Gal. 3, 27. Eph. 3, 17. Renovatio activa, quæ fides quotidie in justificatis producit. Necessarium consequens pœnitentiæ est studium novæ obedientiæ, quod etiam pertinet ad terminum pœnitentiæ ad quem, nec ab ea separari potest. Act. 26 11. Indicia pœnitentiæ sunt vel naturalia, v. gr. lachrymæ; Vel arbitraria, ut jejunium, cilicium, Jon. 3. Esth. 4. 2. Sam. 13. 0. humicubatio, 2. Sam. 12 16. scissio vestium, 1. Sam. 4 12. Joel. 2 13. percussio pectoris, Luc. 18. 12. & 23. 48. &c. Vel necessaria, ut confessio peccatorum, facta vel Deo, quæ omninò necessaria, vel Ministro Ecclesiæ, quæ quidem non absolute necessaria est, necessitate mediæ, licet necessaria sit ex necessitate præcepti, ad ostendendam contritionis & fidei veritatem. Enumeratio autem, sive singularum sive aliquarum peccati specierum, nullâ lege divinâ instituta est, tanquàm ad consequendam remissionem necessaria; Interim tamen licita est. Opposita pœnitentiæ sunt: impœnitentia, flagellatio, satisfactio (quæ à Pontific. statuitur tertia pars pœnitentiæ, quâ per afflictiones corporis sponte assumptas, satisfacere jubent pro temporali pœna, quam, culpâ ac pœnâ aternâ in pœnitentiâ remissis, remissam perversè negant. Quasi verò satisfactio Christi ita sit manca, ut opus illi sit supplementò nostræ in re ulla. Afflictiones, quæ intuitu præcedentis delicti, vel scandali dati quibusdam immittuntur, theologicè ac propriè non sunt pœna, quibus Deo satisficiant, sed Ecclesiæ, quam offenderant, ut scandalum emendetur evidenti castigatione, probetur patientia, accendatur devotio, relapsus*

caveatur &c.) indulgentia (quæ indulgentia Pape, ludibria sunt Satana) &c. An pœnitentia secunda sit tabula post naufragium? Respondent Theologi Dist. inter sensum inclusivum & exclusivum. Si, pœnitentiam esse secundam post naufragium tabulam, intelligatur exclusivè, hœc sensu: quòd baptismus relapsis in graviora peccata non amplius proffit, sed opus sit pœnitentiâ, quæ eos Deo reconciliet sine efficacia baptismi (quæ lententia est Pontific.) negatur. Sin inclusivè, quòd per pœnitentiam redeamus ad fœdus illud, quod Deus nobiscum in baptismo pepigit, ut vi illius recipiamur in gratiam, non planè rejicienda est. Ulteriùs distinguunt inter navem baptismi, quæ nunquam frangitur, cùm sit fœdus æternum, Rom. 11. 29. 1. Tim. 2. 12. & navem fidei, quæ frangitur. Confer. Magnific. Dn. D. Rudr. Syll. p. 296. seqq. B. Scherz. Syst. p. 272. Dominus Heunischius thesaur. Disp. p. 333. Q. 3. Dist. 1. 4.

LOCUS

DE

SACRAMENTIS IN GENERE.

Vox sacramenti (quâ, licet sit ἀγαθος, Ecclesia licitè utitur) sumitur: Politicè (α) pro pignore à litigantibus in loco S. deposito. (β) juramento militari, (γ) juramento generaliter. Theologicè accipitur (1) generalissimè, pro quavis re arcana, ut 1. Tim 3. ult. Eph. 5. 32. (2) specialius, pro quavis sacræ res signo, quò Deus promissionum suarum certitudinem firmavit (3) specialissimè, ut sigilla promissionum gratiæ Evangelicæ, externò atque visibili elementò obsignandæ atque offerendæ, significet, confer. Theologi passim. Sacramentorum genus rectè constituitur actio: vid. verba præceptiva: Matth. 28. 19. Matth. 26. 26. Luc. 22. 19. Reformati, falsam hypothesein, quasi forma Sacramentorum in analogia significativa, vel relatione signi ad signatum consistat, præsupponentes, sacramentum per signum rectius definiri, dictitant. Cùm autem sacramentum ad sacrum finem ordinatum & divinitus institutum sit, ut distinguatur ab quibusvis actionibus profanis, dicitur actio sacra. Causa efficiens & Instituens sacramentorum est solus Deus; (qui est autor salutis) & Christus homo. Matth. 26. 26. & 28. 19. Causa ministerialis, ordinariè & extra casum necessitatis, esse debet minister

nister Ecclesiae, legitimè vocatus, mas, orthodoxus. Secus se res ha-  
bet in casu necessitatis, ubi & Laicus, sive mas sive foemina, sacramen-  
tum administrare potest. Qualitas ac intentio causa administra, sive  
ordinaria, sive extraordinaria (interior sc, quã minister sacramentũ  
administrans intus in animo habet) nihil detrahit vel addit integri-  
tati ac efficaciae Sacramentorum. Exterior tamen, ut sc. minister verbis ac  
factis consentaneis exteris testetur, intendere se administrationem  
Sacramenti, institutioni divinæ conformem, nec velle ludicram aut  
mimicam actionem, est necessaria. Materia sacramentorum du-  
plex est: terrena & cœlestis: Debet autem illa esse certa, expressõ  
mandatõ determinata, & visibilis. Quia duplex sacramenti mate-  
ria est, distinctè etiam operatur. Res cœlestis operatur, non ut causa  
physica, (licet realitas operationis ad modum causæ physicae ac-  
cedat) non ut moralis, nec ut instrumentalis, nec ut nuda conditio,  
vel signum nudè significativum, sed ut causa principalis ac supernatu-  
ralis. Materia verò terrena operatur, non ut causa physica, ratio-  
ne modi operandi, nec operatur per modum qualitatis inherens, nec  
ut causa moralis, sed ut causa physica, realis, instrumentalis, per vir-  
tutem supernaturaliter elevatam agens. confer omninò B. Schertz,  
Syst. in h. l. Forma Sacramentorum in certa & definita actione,  
tum Dei, per Ministrum offerentis, exhibentis & dantis, tum ho-  
minis, à ministro Dei fumentis & accipientis. vid. Dieter. Inst. Cat.  
p. 723. Male fides refertur ad sacramenti formam, cum pertineat  
ad salutarem usum & fructum sacramenti, non essentiam, faciat  
prodesse, non esse, & neque ad materiam, neque ad formam sacramen-  
menti spectet. Finis sacramentorum principalis est gratiae divinae  
oblatio, collatio, applicatio & obsignatio. Gratia autem hæc omni-  
bus hominibus offertur, dignè utentibus confertur, applicatur & ob-  
signatur. Sacramenta ex opere operato gratiam conferre negatur, ex  
regula Theologica: Non sacramentum, sed fides sacramento data &  
promissionem sacramento annexam apprehendens, justificat. Quò mo-  
dò phrasis: Sacramenta prosunt ex opere operato, sine fide utentis,  
cum gra no falis accepta veritati sit consona, videre est in Syll. Ma-  
gnif. Dn. D. Rudrauff. p. 410. seqq. Finis secundarius est civium  
Ecclesiae ab exteris distinctio, mutuum charitatis Christianæ vincu-

lum. Cùm sacramenta sint *fidei* generandæ ac conservandæ *media*, eadem ad *salutem esse necessaria*, nemo ibit inficias. Non tamen par necessitatis gradus est sacramentorum initiationis ac confirmationis. Sacramenta alia sunt *V.* alia *N. T.* quæ inter se conveniunt *Efficiente & Fine*, differunt *materia & formâ*, ex institutione cujusque, tanquam propria sede, dijudicanda. *Utriq;* ergò *testamento commune* fuit, quòd *Deus suam gratiam per certa signa visibilia obtulerit & contulerit*; *Ipsa verò signa cuilibet Testamento fuere propria*. Sacramenta *V. T.* sunt: *circumcisio, & agnus paschalis*. Quanquàm *circumcisio demum post cataclysmum Abrahami tempore fuerit instituta*, per *sacrificia* tamen, quæ ratione *finis* aliquid *sacramentalis habuerunt*, gratia Divina collata fuit. *Agnus Paschalis non fuit juxta Pontific. palcha habentes pro sacrificio, sacrificium ordinarium, sed extraordinarium, & sacramentum*. Sacramenta vera sint à *Deo instituta*, habeant *duo elementa*, *promissionem remissionis peccatorum, thesaurus* sint totius *Ecclesie*, omnibus *Christianis communia*, *partibus essentialibus differant à sacramentis V. T.*, non pro *re adiaphora* sed *maximè necessaria* judicanda, à *Christo Ipso ante sui ascensionem instituta*; Quas omnes conditiones cùm non habeant *Pontific. Sacramenta ficta*, meritò pro *non-sacramentis* habentur.

LOCUS

DE

BAPTISMO.

Vox *Baptismi* ( quæ deducitur ἀπὸ τοῦ βαπτίζειν ) significat (1) in genere quamvis lotionem vel immersionem; (2) accipitur metaphoricè pro largis ac miraculosis Spiritûs S. donis. (3) Pro institutione & doctrina sumitur; (4) Specialiter denotat immersionem in aquam sive asperisionem aquæ, Sacramentum *N. T.* Baptismus aliùs est sanguinis, de quo *Matth. 20. 23.* aliùs *Fluminis*, de quo *3. 11.* aliùs *Doctrinae*, *Matth. 21. 20.* aliùs denique *Fluminis*, *N. T.* proprius. Sicut omnia Sacramenta, ita & *Baptismum in actione consistere loc. preced. de sacram in gen.* ostensum fuit. *Ipsa etenim vox nihil aliud secum fert, quam sine actione immergendi aut aspergendi baptismum esse non posse.* *Causa Efficiens Principalis baptismi est Chri-*

est *Christus secundum utramque naturam*, extendens mandatum baptisandi ad omnes gentes, *Matth. 28. 19.* Baptismum *Christus* nunquam *αὐτοχρηστῶς* administravit; *B. Scherz. syst. p. 346.* causam hanc dicit: *ne scilicet ab Ipso baptizati nobiliori se tinctos esse baptismo gloriarentur.* Causa ministerialis Baptismi olim *Johannes* (qui non propria autoritate, sed jussu Divino baptizavit vid. *Joh. 3. 27. Luc. 7. 30.* ejusque baptismus idem fuit cum baptismo Christi) *Apostoli* eorumque *successores fuerunt*; Hodie verò ordinariè est vocatus *Pastor Ecclesie.* *Laici* (deficiente ministerio, & urgente mortis periculo, licite & valide) etiam possunt administrare Baptismum; Quod patet exemplo *Sipporæ*, quæ filium circumcidit, *Exod. 4. 24.* Idem *mulieres Maccabeæ* in casu necessitatis fecerunt *1. Macc. 1. 63.* Et hanc *circumcisionem* Deus approbavit; priorem quidem, quia dimisit *Mosen*, qui aliàs moriturus fuisset. *Materia baptismi est duplex*, eaque *cœlestis & terrena.* *Materia cœlestis est SS. Trinitas*, ex *Matth. 28. 19.* *Materia verò terrena est aqua*, five illa sit *putealis*, five *fluviatilis*, &c. nihil interest, modò *naturalis sit aqua.* Cùm autem *media salutis ordinare solius sit Dei*, non licet istam *immutare* aut *commutare.* *Corrumpitur* autem *materia per admistionem*, planè *abolitur per surrogationem olei aut alijs liquoris.* *Objectum* quod est *baptizandum* est *omnis homo*, per *Matth. 28. 19. Joh. 3. 8.* & quidem (1) *vivus* (2) *natus*, etiam (3) *infans nostri juris*, & (4) *adultus fidelis.* *Forma Baptismi* consistit tum in *immersione seu affusione hominis in aqua*, cum *repetitione verborum institutionis*, tum in *αὐψει* sed *receptione respectu hominis aquæ affusæ seu aspersæ.* *Norma actionis sacramenti hujus est verbum institutionis.* *Effectum* actionem ritè peractam consequens est *unio Sacramentalis*, quæ eò ipsò momento fit, quò *aspergitur homo aquâ.* *Hæc verò unio non est vel relativa tantum*, qualis erat in *Sacramentis V. T.* sed *exhibitiva rei cœlestis*, verè *realiterque presentis.* Confer. *König. Theol. posit. p. 244.* *Character indelebilis*, qui est *qualitas quadam potestativa*, agendi aliquid ex *jure Christianorum proprio*, sicut ipsum describit *B. Hulsem. Brev. p. 224.* *impressus* cuivis baptizato, five *hypocrytæ*, five *fideli*, est *commentitius baptismi effectus*; Vel *indelebilis* dicitur secundum *B. Schröderum*, (non *privativè*, sed) *negativè*, quia

quia nunquam scribitur. Finis baptismi *summus absolute talis est gloria sapientiae ac bonitatis Divina*; Finis proximus in infantibus est fides est & regeneratio ( à negatione fidei reflexa in infantibus, ad negationem fidei directam N. V. C. Actualem fidem habent infantes, (α) ratione existentiae, (β) ratione operationum, non externarum quidem, ( quales etiam in dormientibus non edit ) sed internarum & verae fidei propriarum. Vid. B. Scherz. *pecul. Dissert. de fid. infantum.* ) In adultis fidei & gratiae confirmatio & regeneratio. Modus quò Baptismus confert gratiam fidei &c. est *instrumentalis, ex parte Dei, efficientis per baptismum, tanquam medium influens in homine fidem, per motum, non infusionem habitûs. Modus, quò recipit homo hæc beneficia, itidem est instrumentalis, non moralis, & dignus qualitate gratiæ oblatae, sive per dispositionem à Deo introductam, seu viribus humanæ naturæ possibilem. Fines consequentes alii sunt, Christianorum à cœtibus gentilium discretio, recordatio amoris Christi, adhortatio ad novitatem vitæ, & similes.*

LOCUS

DE

EUCCHARISTIA.

*Synonyma Eucharistiae varia in N. T. occurrunt; Vocatur enim: (cœna, quia nocte eâ, quâ traditus est Christus, post cœnam instituta legitur ) synaxis, I. Cor. 10. 20. ἀγάπη ( propter convivia charitativa ) I. Cor. 11. 21. mysterium tremendum ( non solum propter dogma, sed etiam propter modum unionis, inter rem caelestem & terrenam, qui non est significativus tantum, sed realis, & exhibitivus; propter modum presentiae quoad nos, qui est substantialis & realis, non rationalis & imaginarius; propter modum communicationis nobiscum: qui est sacramentalis & spiritualis, realis tamen. vid. Hülseman. *Brev. in h. l.* ) θυσία, προσφορά, ( non ratione actûs, sed materia ) Missa, ( Missæ nomen & rem retinent Ecclesie catholicae, quæ Augustanam confessionem profitentur, & concedunt S. Cœnam in laxiori sensu appellari antiquitus vel missam vel sacrificium sc. spirituale & Eucharisticum. confer omninò Magnif. Dn. D. Rudtauff, *Syll.* p. 441. ) Mensa Domini, I. Cor. 11. 41. Novum Testa-*



*Testamentum.* Causa Efficiens principalis S. Cœnæ est speciali ratione Filius Dei ἐνοραρχῶν, ὡς ἰσχυροῦς ὡς Sacramentum hoc instituens, etiam secundum humanitatem, quia est actus officii tergemini, E. & pertinet ad utramque naturam, *Matth.* 26. 26. *Marc.* 14. 22. *Ministerialis*, est Ecclesia minister. *Materia* S. cœnæ duplex est, terrena sc. & cœlestis. *Materia terrena* est panis, (materia ac forma usualis) & vinum, cujus odor & sapor natus, mixtione alterius liquoris non aboletur. *Vinum* autem esse partem terrenam S. cœnæ, constat ex *Matth.* 26. 19. *Luc.* 22. 10. Hæc tota species à S. cœna summo veri non debet. *Materia cœlestis* constat *Salvatoris* nostri corpore, quod in cruce pependit, actuque ipsò communicantibus traditur. *Matth.* 26. 26. *Marc.* 14. 22. *Luc.* 22. 10. 1. *Cor.* 11. 24. Et sanguine, qui in cruce effusus est, actuque ipsò in communicantium ora effunditur. *Matth.* 26. 28. *Marc.* 14. 14. *Præsentia* autem hæc realis corporis ac sanguinis Domini nostri Jesu Christi, patet ex litera claritate, H. E. C. M. desertionis ἵδ' ἐν τῷ absurditate, retentionis autem ejus fructuositate ἔσθ'. *Loc. Ebr.* 8. 3. 4. non de loco, sed modo terreno loquitur. Confer latius hæc deducentem B. Strauch. in *Stare und Milchspeise/ conc. tert. in Fest. Ascens.* p. 777. seq. *Forma* Eucharistiæ est integra actio externa, circa rem terrestrem & cœlestem hujus Sacramenti. *Actio externa hominis* est vel dantis, vel accipientis Sacramentum. *Dans* (ut supra dictum) est *Minister* Christi ordinarius, locum ejus tenens, ex ratione officii generali, *Matth.* 28. 19. 1. *Cor.* 4. 1. consecrans etiam præsentia symbola panis & vini, oratione & recitatione verborum institutionis, & præparans eadem ad distributionem, & præparata distribuens. *Consecratio* non est ruda repetitio verborum institutionis, multò minùs horum tantum: H. E. C. M. &c, sed est repetitio consecrationis à Christo peractæ, & nobis ad repetendum mandate, 1. *Cor.* 11. 24. Ad præparationem hujus sacramenti, neque vi mandati, neque ullâ aliâ ratione requiritur sola fractio panis, spectantibus communicaturis, sed licita etiam est jectio, & quævis alia in partes edendas comminutio vid. 1. *Cor.* 10. 16. & 11. 24. ubi panis dicitur fractus, & corpus Christi dicitur frangi, quod tamen fractum non est; Ex quo patet, τὸ frangere usurpari pro distribuere. Ad actionem *Ministri* nullâ ratione per-

G

tinet

cinet sacrificatio corporis & sanguinis Christi, quia in verbis Testa-  
 menti non est instituta. Ex parte hominis Sacramentò utentis, est  
 panis & vini benedicti λήψις, quæ manducatione & bibitione absol-  
 vitur, ut unio Sacramentalis consummetur per causas socias à Chri-  
 sto institutas, manente panis & vini substantiâ, non transubstan-  
 tiatâ in corpus & sanguinem Christi 1. Cor. 10. 16. Matth. 26. 24.  
 Vocabula: conversio, μεταβολή, μεταποίησις, μετασχηματισμός & si-  
 milia, quæ Patres usurpant de translatione symbolorum sacramenta-  
 lium panis & vini, ad unionem, officium & dignitatem eminentiorem,  
 quam per naturam habent, nîl faciunt pro transubstantiatione Pon-  
 tificia, quæ est privatio seu abolitio alterius partis essentialis, seu res  
 terrena in sacramento, probè notante id B. Hulsem. Brev. p. 355.  
 Norma Eucharistæ est verbum institutionis. Effectus consequens  
 est unio rei cœlestis & terrestris sacramentalis. Deus unit corpus Chri-  
 sti cum pane, & sanguinem ejus cum vino, sistit utrumque aggrega-  
 rum seorsim præsens in terris, ad comedendum & bibendum ore  
 corporis, vi verborum institutionis & promissionis; Alia præsentia  
 sacramentalis ostendi non potest ex verbo Dei; Igitur vi dictionis  
 benedictionisq; Christi, existit illic corpus Christi manducandum,  
 non vi alterius principii. Quando verò vocatur præsentia sacra-  
 mentalis, nequaquam definitur præsentia modus, sed (1) remove-  
 tur præsentia exclusiva, relativa, objectiva vel effectiva; Imò &  
 definitiva Angelica, physica, localis, inexistens & impanatio atq;  
 transubstantiatio. (2) Assertitur: præsentia vera, substantialis, my-  
 stica, supernaturalis & divina, ad certa symbola panis & vini eo-  
 rumq; determinatum manducationis & bibitionis sacramentalis usum  
 destinata. Punctum temporis Mathematicum, quando uniuntur res  
 terrena & cœlestis in Eucharistia, definiri non potest, quia non ad  
 unius, sed ad plurium correquisitarum actionum executionem, quæ  
 aliquam temporis latitudinem requirit, & inter quas actiones ul-  
 timæ sunt comestio & bibitio, Dominus præsentiam corporis & sangui-  
 nis sui promisit. Ex unione ista, est sacramentalis cœlestium cum  
 rebus terrenis manducatio & bibitio, esus corporis Christi cum pane  
 benedicto, & potus sanguinis Christi cum vino, vi naturalis significati  
 verborum. Matth. 26. 26. Subiectum cui instituta est S. cœna, non  
 sunt

Sunt *Judei, Turcae* aut *gentiles*, ( quibus non est instituta *S. cœna*; *E.* non sunt hospites; Si autem *de facto* se ingererent, pro *porcis* habendi essent. ) sed *Christiani*, nec ex his illi, qui *edere & bibere non possunt*, ( Pro quibus cum *Eucharistia* instituta non sit, nec hospites esse possunt; ) verum hi, qui *comedere, bibere, cibum hunc & potum mysticum ab aliis cibis discernere, se ritè probare, ac mortem Domini annunciare possunt.* Sufficiens probationis non æstimatur ex *fidei & renovationis* quantitate, sed *veritate.* *Matth. 9. 12.* ubi etiam *fides languida paralytici peccatorum impetrabat remissionem*; confer *Matth. 12. 30.* Quoscunque obligat *mandatum edendi*, eosdem etiam obligat *mandatum bibendi*; vid. *B. Scherz. syst. in h. l.* Quicquid de *naturali concomitantia sanguinis & carnis* obvertitur, non tollit tamen *obligationis æqualitatem*, sed pertinet ad *objecti naturalem qualitatem*, quod non constituit *integritatem Sacramenti*, sed *exhibitio & sumptio* hoc facit. *Indigni* ( per quos non *infirma fidei homines*, juxta *Reformatos*, intelliguntur, ) participant quidem *substantiam sacramenti, salutarem tamen ejus fructum minimè percipiunt.* *Finis Eucharistiae* est *peccatorum remissio, fidei confirmatio, futuræ resurrectionis certificatio, mutuæ charitatis symbolum, & mortis Domini annuntiatio.*

LOCUS  
DE

JUSTIFICATIONE.

*Effectus poenitentiae*, ( ut supra *loc. de convers. per poenit. dictum* ) *immediatus*, est *justificatio hominis peccatoris coram Deo.* *Justificatio in negotio præsentis*, quando *homo peccator coram Deo justificandus est, forensam, non physicam, habet significationem, & absolutionem à peccatis denotat, non infusionem justitiæ.* Confer. *Kromayer. in h. l. & Syllog. D. D. Rudrauff. p. 303.* *Pontificii*, cum nos per *inherentem, non imputatam justitiam* coram Deo *justificari* contendant, *significationem quoque hujus vocabuli ( non forensam, pro peccatorum remissione, aut justitiæ Christi perfectissima imputatione secundum gratiam, sed) physicam, pro mutatione qualitatum* intelligunt. Quomodo *justificationem* dispescant, vide apud *Theologos passim, Dari Justificationem, probatur tum dictis; Ps. 32. 1, Rom. 4.*

7. tum exemplis S. Scripturæ: *Abrahami*, Rom. 4. vid. *Ebr. 11. per tot.*  
 Causa efficiens Principalis est tota S. S. Trinitas: *Pater*, Rom. 8. 32.  
*Filius*, Esa. 59. 11. *Spiritus S.* 1. Cor. 6. 11. Causa impulsiva Iustifi-  
 cationis gratia Dei est, Rom. 3. 24. Eph. 2. 8. Gratia Dei hîc in loco  
 non bona opera ex gratia profecta, sed gratuitum Dei favorem signifi-  
 cat; Justificatio enim sine ullo operum vel dispositionis hominis intuitu  
 facta est; Omne opus hîc absolutè, genericè, illimitatè, absq; ulla exceptio-  
 ne, quodcunq; 3, qualecunq; 3 & quantumcunque istud fuerit, excluditur.  
 Causa justificationis nostræ meritoria, est: SOLUM CHRISTI  
 MERITUM, vid. Rom. 3. 4. & 5. 10. 1. Job. 1. 7. Ebr. 9. 13. Gal. 3. 13.  
 & 4. 4. Per meritum Christi hîc intelligitur: obedientia utraque vi-  
 va & mortis, activa & passiva. Activa per: Rom. 8. 3. & 10. 4. 5. Phil.  
 2. 6. Gal. 4. 4. Passiva ex dictis: Esa. 53. 5. & 63. 3 Rom. 3. 24. Hæc obe-  
 dientia Christi justos nos constituit (non inhesivè, sed) imputativè.  
 Causa instrumentalis ex parte Dei, est Minister verbi docens, & ab-  
 solvens; Verbum & sacramenta, per quæ, mediante ipsorum effica-  
 ciâ, confertur homini facultas credendi & applicandi sibi justifica-  
 tionem. Ex parte hominis causa organica existit fides, quæ justifi-  
 care dicitur, non quia & quatenus per charitatem operatur, sed quæ  
 charitatis mater est; Objectum fidei iustificantis est solus Christus  
 cum merito. Officium ejus est: quod sola justificet ex parte hominis.  
 vid. Rom. 3. 20. & 4. 5. Gal. 3. 11. & 5. 4. Tit. 3. 5. Eph. 2. 8. 6. Mo-  
 dus, quò justificat fides, est instrumentalis, apprehendens & appli-  
 cans gratiam à Deo propter Christum oblatam ad sese in individuo. For-  
 ma Justificationis ἐν σέησει ἢ θέσει consistit. Actus privativus est pro-  
 priæ in iustitiæ non-imputatio. vid. Ps. 32. 2. Rom. 4. 3. 2. Cor. 5. 19.  
 Non-imputatio peccati est actus antecedens privativus, nos formaliter  
 justos non constituens. Actus positivus est alienæ Christi justitiæ  
 imputatio; Hæc autem est actus consequens positivus, & formaliter  
 nos justificans. vid. Rom. 4. 5. 2. Cor. 5. 21. Jer. 23. 6. Es. 45. 24. Rom. 5.  
 19. Phil. 3. 6. seqq. Justificandi hic modus excludit (1) iustitiæ in-  
 fusionem, (2) virtutis minoris pro majore acceptilationem; hæc sen-  
 tentia enim Arminiana ἀγροφος est, nulloque scripturæ fundamen-  
 tō niritur. Eâdem ergò facilitate rejicitur, quâ asseritur. (3) Vi-  
 sa ad iustitiam pietatemq; 3 formationem. (4) Iustitiæ Christi imita-  
 tionem

tionem, quod cōmmentum est ἀντιγενεσιον, Rom. 4. 14. & 5. 19. ἀδύνατον, Rom. 8. 3. (5) *substantialē mutationem*, ex quo hoc absurdum, articulis: Creationis, Redemptionis & sanctificationis repugnans, flueret: *substantiam sc. nostram esse peccatum*. Omnia hæc vide refutata apud Scherz, Syst. p. 448. seqq. *Subiectum* Justificationis est *homo, totus, peccator* (non habens tamen, neque retinens voluntarium peccandi propositum, in ipso justificationis actu, quia Deus in illo instanti, quando absolvit hominem à peccato per imputationem sanctitatis Christi, etiam mutat affectum hominis, ut appetat bonum) *viator, utriusque Testamenti, pœnitens ac credens, cujuscunque sit ætatis*. *Certitudo* præsentis justificationis & remissionis peccatorum constat ex præsentis *fidei veritate*, non *quantitates*. Matth. 9. 2. Luc. 7. 47. *Præsentia vera fidei* dignoscitur identidem ex *sensu & ex conscientia*, suasionibus verbi incumbente hominis credentis. 2. Cor. 13. 5. & *testimonio intus confirmantis Spiritus S.* Rom. 8. 16. 1. Job. 5. 6. *Finis* Justificationis *ultimus* est laus misericordiae ac Justitiæ Divinæ. *Intermedius* est Justificationum æterna salus.

## LOCUS

### DE

#### RENOVATIONE, ET B. OPERIBUS.

*Renovationis terminus* accipitur vel *laxè*, ut regenerationem quoque & justificationem ambitu suo complectitur, vel *strictè*, pro ut regenerationi & justificationi contradistinguitur. *Renovatio justificatione* est *posterior* (1) *tempore*, (2) *causis*, (3) *subiectis*, (4) *formâ*, & denique (5) *perfectiōe & gradu*. Male igitur justificatione & renovatio confunduntur. *Causa Efficiens* prima est tota SS. Trinitas; *Terminative & appropriative Spiritus S.* Tit. 3. 5. Rom. 1. 4. Gal 5. 21. *Causa promerens* est *Christus Θεάνθρωπος*. Job. 15. 5. Eph. 2. 11. *Causæ organicæ* aliæ ex parte Dei, aliæ ex parte hominis sunt. Ex parte Dei sunt *verbum & sacramenta*, ex parte hominis *fides*. *Causa secundaria & subiectum* renovationis *materiale*, sunt *soli justificati*; Homo autem hîc ratione *animæ & corporis* consideratur. *Subiectum* renovationis *formale* est *homo vetus*, seu quatenus homo vetustatem peccati contraxit. Per *veterem homi-*

nem, intelligitur tota corruptio in intellectu, voluntate, appetitu, motibus, passionibus & actionibus à lege deviantibus. Materia circa quam occupatur renovatio, sunt facultates hominis, tam superiores, quam inferiores, actiones & passiones hominis, tam naturales, quam praternaturales, tam interna, quam externa, tam voluntaria, quam involuntaria, quas exactè conformari oportet normæ sanctitatis & justitiæ divinæ, seu decalogo. confer B. Hülf. h.l. Forma renovationis consistit in derogatione ejus, quod intellectus, voluntas & appetitus naturaliter concipiunt, eligunt & appetunt, menti & voluntati Divinæ adversum, & conformatione omnium facultatum & actionum cum norma legis divinæ. Renovatio in hac vita inchoatur quidem, in altera vita verò consummatur; Hic enim locum habet τὸ ἐκ μέγας, τὸ τέλειον verò futuræ vitæ reservatur. 1. Cor. 13.10. Defectus hic perfectionis in renovatione, non ex impotentia Dei renovantis, sed incapacitate hominis, actionem Dei recipientis, fuit. Finis renovationis principalis, à Deo intentus, & nobis ipsis intendendus, est: *Glorificatio Dei*, tum apud nosmet ipsos, tum apud alios. 1. Cor. 6.20. *Subordinatus* est quotidianus noster progressus in studio pietatis. 2. Cor. 4.16. & confirmatio justificationis nostræ à posteriore quoad nos à sensu Spiritus Renovantis, & studio pietatis in nobis deprehenso. 2. Petr. 1.4. Cum quo non pugnat intentio bene operandi, etiam hōc fine, ut majorem gradum gloriæ assequamur, non mereamur. Phil. 3.10.12. Denique Renovationis finis est, etiam alios exemplō nostrō invitare & emendare. 1. Pet. 2.12. & 3.1,2,16. Effectus Renovationis immediatus est vel privativus, qui est *successiva diminutio* tenebrarum & errorum in intellectu, Rom. 12.2. pravi & illiciti propositi in voluntate. Rom. 7.22. seqq. Vel positivus, qui est: *illustratio mentis* ad scrutandum & probandum quæ sit voluntas Dei beneplacens & perfecta; *Electio & executio* hujus voluntatis divina; Denique *appetitus, desiderium & actualis incitatio & determinatio* affectuum nostrorum, ad diligendum Deum & proximum. Col. 3.10. Eph. 4.23. Effectus medius renovationis sunt B. *Opera*, seu *observatio mandatorum Dei*, primæ & secundæ tabulæ. *Bona opera* alia sunt interna; alia externa; Alia verè (quæ sc. in verbo mandata & expressa) alia putativè (qualia ἐθελουθησκειαι five

sive traditiones humanæ) bona. Alia bonitas est *Physica*, alia *moralis*, alia *Theologica*. *Physica* actionibus *Ethnicorum* competit, ut & *externè moralis*; *Theologica* convenit *B. operibus renatorum*. Causa efficiens principalis *B. operum* est *Spiritus S.* qui operatur illa in nobis, finè quo nihil nos possumus facere. Subjectum *B. operum* sunt *homines renati, fideles* sc. per *Spiritum S. regeniti*, in his enim solus *Spiritus S.* habitat, & per hos ipsos operatur. Cùm igitur *B. opera gentilium* destituantur *requisitis verè bonorum operum Theologicèq; talium*, (ad quæ requiritur (1) *persona renata*, (2) *modus agendi ex fide*, (3) *finis legitimus*, spectans sc. *Dei gloriam Ecclesiæque commodum*) non sunt *verè bona Deoq; (complacentiâ sc. speciali, quæ proficiscitur ex gratia propter Christum) placentia opera*. Interim tamen Deus ea remuneratur *bonis temporalibus*. *Forma B. operum* (non est secundùm *Thomistas* *conformitas cum recta ratione*, vel juxta *Scotistas* *convenientia cum iudicio nature liberæ intelligentis*, secundùm circumstantias ab ipsa ratione libera dictatas; Sed est) *rectitudo legalis*, & exactissima *conformitas intellectûs, voluntatis, cordis & affectuum, motuum & actionum cum voluntate* (quæ sola norma est *B. operum*, non *recta ratio nostra*, vel *rationis iudicium*, quæ corrupta sunt) *Dei in lege expressa*. *Aliis formæ B. operum duplex est: legalis*, quæ in *involutæ vel conformitate cum lege Dei* consistit, vel *Evangelica*, quæ est *fides justificans* per *Rom. 14. ult. Hebr. 11. 8.* Vid. *Magnif. Dn. D. Rudrauff. Syll: p. 490.* *Finis B. operum ultimus* est *Dei gloria*, *Matth. 5. 16. 1. Cor. 10. 13.* *Intermedius* est *gratitudinis nostræ declaratio, fidei nostræ testificatio, pœnarum evitatio, præmiorum præsentis & futuræ vitæ consecutio*. *B. opera necessaria* sunt, non *libera*, (1) *propter Deum*, (2) *proximum*, (3) *nosmet ipsos*. *Necessaria sunt B. opera propter Deum*, quia ipse (α) *mandavit*, (β) *Ipsi placent*, (γ) *Christus ideo mortuus est*, (δ) *Deus est glorificandus, tum apud nos ipsos, 1. Cor. 6. 18. tum apud alios, Matth. 5. 16.* *Necessaria sunt propter proximum* (a) *ut eum diligamus*, (b) *nostrò exemplò ædificemus*, (c) *neminem scandalizemus*, & (d) *benefactis improbos pudefaciamus*. *Necessaria sunt propter nosmetipsos*, ut (1) *nostram vocationem & electionem firmam faciamus 2. Pet. 1. 10.* (2)

U

Ut discrimen inter fidem veram & hypocriticam appareat. (3) Ne Spiritum S. contristemur. Eph. 4. 30. Propositiones de necessitate B. operum, judice B. Hulfem. Brev. p. 301. vel sunt plana & certa, v. g. *Bona opera sunt necessaria justificatis, vel ambigua, ut: Bona opera sunt necessaria justificato, qui vitam aeternam consequi velit: Bona opera sunt necessaria justificato, si vitam aeternam velit consequi &c. vel falsa & scandalosa, v. g. Bona opera sunt necessaria ad consequendam aeternam salutem, quæ in tolerabilis est. Tò necessarium esse salvando, & necessarium ad salutem, non sunt propositiones aequi pollentes, posterior enim magis propendet ad necessitatem causandi, vel saltim concusandi salutem.* An verò propositio hæc: *Bona opera sunt necessaria ad salutem, tanquam conditio sive causa sine qua non, etiam tanquam ambigua, vel apertè falsa sit rejicienda?* Cùm juxta Prucknerum in *Metaph.* p. 42. *causa sine qua non sit, quæ licet non habeat verum influxum in esse effectus, effectus tamen sine ea esse vel fieri nequit, posset quodammodò hæc phrasiologia defendi.* Verùm, quia (sicuti rectissimè monet B. Dietricus *Inst. Catech.* p. 278.) abstinendum, à locutionibus ambiguis, præsertim in summo articulo de Justificatione & salute, & hæc phrasis: *B. opera sunt causa sine qua non, ambigua est, etiam tutiùs dimittitur.* Verbò: hic subsistendum in illa pia simplicitate: *B. opera esse necessaria; Ea autem necessaria esse justificatis, si aeternam salutem consequi velint, esse necessaria ad salutem, esse necessaria tanquam causas propter quas, aut conditionem sine qua non &c.* dicendum non est. Opera B. justorum verè ac propriè non sunt merita, iisque justificatus nec augmentum gratiæ verè meretur, nec ipsam vitam aeternam. *Merces & meritum* (1) propriè respicit justitiam & proportionem, (2) *catachresticè* gratiam & promissionem, adeoque notat *præmium, non debitum, sed indebitum; Quod notandum contra Pontificios, opera bona reatorum ex condigno meritoria esse vitæ aeternæ, dicentes, ita ut sit in opere bono proportio ad præmium vitæ aeternæ. Quid per denarium Matth. 20. 2. intelligatur? in eo desudârunt viri multi doctissimi; Verùm quod dicit B. Strauch. in Starcke und Milchspeise sup. Evangel. septuag. conc. 2. p. 282. multorum opiniones & explicationes de denario, ne denariò quidem redimende sunt;*

Dicitò



Dictô enim locô nec de *vita aeterna*, nec absolutè de *præmiis temporali- bus* sermo est, sed *salarium ministrorum Ecclesiæ* intelligitur. Vel etiam responderi potest cum B. Scherzer. in *Anti Bellarm. Disp. ult. p. 764.* *denarium datum novissimis equaliter; E. non ex condigno, sed vi gratuita promissionis.* Bona opera ad salutem esse pernicio- sa, perniciosè asseritur.

### LOCUS DE

#### PRÆDESTINATIONE & OPPOSITA REPROBATIONE.

*Electio vel prædestinatio Dei ad vitam æternam, ex verbo Dei revelato* (contra Calvinum, & similes, qui in *arcano Dei consilio* illam perscrutari malunt, quam in *verbo revelato*; Hinc prædestinatio *Calvino* est verè *labyrinthus*, unde hominis ingenium se nullô modô explicari queat,) cognoscenda est. *Prædestinatio & electio sensu Biblicô* æquè latè patent & synonyma sunt; nec differunt *realiter*, sed tantùm *ratione & modô concipiendi nostrô*. Differunt inter- im *ratione ordinis*, cum nullus sit prædestinatus, quinon sit electus; differunt *ratione objecti, gradûs & contrarii*. Confer. B. Scherz. *Syst. p. 477.* Dni Heunisch. *Thesaur Disp. p. 277.* Prædestinatio *ex usu Scripturarum* nunquam pro *reprobatione* usurpatur, licèt *acceptio- ne Ecclesiasticâ* nonnulli Patres voce Prædestinationis ita *generaliter* usi sint, ut etiam ad *reprobationem* referretur. Consule Magnif. D. D. Rüdrt. *Syll. p. 186, seqq.* Prædestinatio alia est *rerum*, de qua *Actor. 4. 28.* alia *personarum*, non verò *Christi*, qui *electus* di- citur *Redemptor*, *1. Pet. 1. 20.* nec *Angelorum electorum*, *1. Tim. 5. 25.* sed *hominum lapsorum*, nec *horum* quidem ad *certam functionem & officium*. *Deut. 7. 6.* ubi *populus Israel* dicitur *electus*; Confer *Die- trici Inst. Catech. p. 598.* *Actor. 1. 24.* aut aliam *prærogativam tempo- ralem*, quô sensu accipitur *Rom. 9. 11.* sed ad *vitam æternam*. Distin- ctio Prædestinationis ad *gratiam & gloriam* nulla est. Neq; n. ad *gratiã* eligimur, sed *per gratiã ad gloriã*. Causa efficiens Prædestinationis est *SS. Trinitas*. *Eph. 1. 32. 2. Th. 2. 13* quia prædestinatio est *actio* (nô *perso- nalis*; Sed) *essentialis & indivisa*, Causa *impulsiva* Electionis est *mera ac sola gratia & misericordia Divina*, *exclusâ* hominis *actione*, si ve *ex viribus nature*, si ve *gratia*, proficiscatur, etiã *sive ipsâ*, si spectatur *tanquam conditio magis vel minùs digna*; Παχουλῶς causa *impulsiva externa*

externa electionis dici potest præ visa *hominis miseria*. Causa electionis nostræ *meritoria* est *meritum Christi*; ( non dicendum tamen *medium executivum gratiæ eligentis* juxta *Reformatos*, vel effectû electionis, cum sit causa impulsiva ordine prior, quæ Deum ad gratiam hominibus ( *vocando* sc. eos, & quidem *omnes*, *justificando* verò & *glorificando quosdam* ) declarandam movit.) Subjectum prædestinationis non sunt *Angeli*, ( licet & καὶ ἀγγελικῶς sumptò vocabulò electionis, pro omni decreto ad gloriam, Angelos antequam crearētur, ab æterno ad gloriã prædestinatos esse dici possit ) neq; homo creandus, neq; creatus in statu antelapsū constitutus, sed *consider. in statu post lapsum*, & quidem *vocatus, justificatus & sanctificatus*, quem Deus ab æterno intuitus est, tanquam *non rejecturum* primam & omnibus vocatis communem gratiam, sed *crediturum* per oblatam gratiam, & in illa gratia *perseveraturum*. Cùm non solùm vox electionis dicat *segregationem quorundam*, sed & *expressè* Scriptura asserat: *paucos esse electos*, *Matth. 20. 16. & 22. 14. &c.* neque possunt nisi *pauci* dici, quia pauci perseveranter credunt, pauci que salvantur & glorificantur, de mundo electi *Joh. 15. 19. Act. 13. 48. nec hîc* intelligitur electio, de qua *Deut. 7. 6. 7.* toti populo contingens, sed ad *hereditatem & gloriam*, solis illis destinata, qui sunt in Christo *JESU*, *Eph. 1. 4. Electio universalis*, quam *Samuel Huberus Bernas* maximo cum scandalo defendit, *σιδηρόξυλον* est. Forma Electionis est ille *ordo*, quem in sanciendo hoc decreto Deus ab æterno constituit, & juxta quem aliquos ad salutem elegit. Hunc ordinem *Formula Concordiæ Declarat. p. 802. seqq.* octo gradibus inclusit, quorum ( 1 ) est decretum de *universali redemptione*, ( 2 ) de *universali oblatione beneficiorum* meriti ( vel quoad *actum*, vel quoad *intuitum* fuit ab æterno ) Christi, ( 3 ) de *conversione per verbum*, ( 4 ) de *adoptione & justificatione*, ( 5 ) de *renovatione & sanctificatione*, ( 6 ) de *tutela & defensione* credentium, ( 7 ) de *conservatione* ad finem vitæ, & tandem ( 8 ) de *æterna glorificatione*. Paulò aliter enarrat hunc ordinem *B. Scherz. Syst. p. 5. 21. De Syllogismo Prædestinatorio*, cujus Majorem *πρόθεσις*, *quicumque finaliter est crediturus, ille fit salvus;* ) minorem ( *Atqui Petrus, Paulus &c. est finaliter crediturus* ) *πρόγνωσις* format, unde tandem conclusio, ( *Ergò Petrus Paulus &c. sit electus* ) quæ

continet

continet  $\pi\rho\omicron\sigma\mu\omicron\nu$ , seu ipsam electionem, sequitur, vide præter *Eundem l. c. p. 5. 19.* etiam König. *Synops. p. 116.* Terminus Electionis est vel à quo, vel ad quem. Terminus à quo est peccatum, perditio. Terminus ad quem est gloria ac salus aeterna. Finis Electionis quoad Deum est gloria misericordiae suae. Quoad nos est vitae sanctimonia, *Eph. 1. 4.* non securitas de impotentia relabendi, & fruitio aeternae beatitudinis. Credentibus nulla est de electione *justa dubitandi causa*, quia certi sumus gratiae in Christo datae, certitudine (non absolutâ, sed) *hypotheticâ*, si constanter permanerimus in fide. *Infallibilis* nobis est salus, quia nititur *Dei omnipotentia* 1. *Tim. 1. 12. fidelitate*, 1. *Cor. 10. 12. bonâ voluntate. Philipp. 2. 13. &c.* Si ulla doctrina, certè hæc sufficiens causa esset, ut *Papatum* desereret, quicumque salutem amat suam. Si enim *dubitandum* est in religione *Papæa de salute*, si *hominis Papæi conscientia* nunquam potest esse *serena*, fatente *Bresserô Libr. 2. de Consc. c. 13. f. 199* quis harum *dubitationum* *fabris salutem* concedat suam? *Sine sua sunt certi, quomodo certò mihi, tibi &c. promittent salutem?* Oppositi *um Prædestinationis* est *reprobatio*, (quasi *reprobi probati rejectio*.) *Causa decernens* est *Deus iratus*, voluntate consequente. *Ratio impellens* est *materialiter* omne peccatum, *formaliter sola* & quidem *finalis incredulitas*; Non, ut *Electionis* causa *merè gratuita est*, i. e. nihil inveniens in homine, quod ad prædestinationem sese habeat *ut causa*, ita & *reprobatio* ejus oppositum, *merè gratuita est*, i. e. nullam omninò causam in reprobando supponens; *Justitiæ* enim *Dei* non obest, quòd præter meritum quenquã salvet, sed maximè obest, si præter meritum quenquam damnet. vid. *Rom. 3. 5. 6.* *Objectum* *reprobationis* est *homo*, (non quatenus *creandus*, aut *lapsus*, sed) quatenus *incredulus salvatorem rejicit*, adeoque omni salute & salutis mediò destitutus est. *Forma* consistit in eo, quòd *reprobatio* non sit *absoluta*, nequè *positivè*, seu inferendo damnandi causas in hominem, neque *negativè*, non conferendo homini, quò mediante emergere possit, neque *privativè*, seu relinquendo hominem in peccato originali & actuali, ideò quia non placeret eum eripere, sed est *hypothetica* & *condionata*, habens pro objecto *voluntariam* & *vincibilem hominis infidelitatem*, ob cujus finalem continuationem,

Deus tanquam justus iudex hominem condemnat *Rom. 2. 5. 6. Job 9. 18.* *Finis* reprobationis est *laus gloriosæ Dei justitiæ.* *Terminus* reprobationis est *æterna damnatio,* de qua infra.

## L O C U S.

## D E

## MORTE ET STATU ANIMARUM POST MORTEM

*Mors* alia est *prima,* quæ animæ & corporis vinculum dirumpit, vel *temporalis,* alia *secunda & æterna.* Alia *corporalis,* alia *Spiritualis.* *Spiritualis* iterum est vel *fidelium,* vel *infidelium.* Illa est *laudabilis & fructuosa,* hæc *detestabilis & perniciosa.* *Causa* introducens mortem est *Diabolus.* *Sap. 3. 24.* *Causa proxima Physica* erat *homo ipse,* à Diabolo spontè se passus seduci. *Causa promerens* est *primum peccatum,* seu *transgressio præcepti Paradisiaci.* *Rom. 5. 12. & 6. ult.* *Causa ordinans* est *Deus,* non per defectum creationis, nec per decretum transgressionis absolutum, sed per modum *judicialis* (1) *comminationis.* *Gen. 2. 19.* (2) *executionis.* *Ps. 90. 8.* (3) *directionis,* ratione *modi, termini, temporis, eventus,* &c. *Causæ intermedia & propinqua* mortis *Physicæ,* *interna* aliæ sunt, aliæ *externæ.* *Internæ* sunt *caloris nativi defectus,* vel *exarescentia humidi radicalis,* *qualitatum internecina pugna,* quæ mortem inducit. *Externæ causæ* variæ sunt, quæcunque sc. hominem violenter interficere possunt. *Subiectum* mortis est *omnis homo peccator.* *Rom. 5. 12. add. Ebr. 9. 27.* *Qui locus* agit de *ordinaria regula,* à qua exempla quædam à Deo ipso excipi nihil vetat. Fuit itaque in *Henoch* & *Eisa* *peculiaris & extraordinaria Dei oeconomia,* præter communem ordinem; quanquam concedi possit *analogon quid mortis,* sc. *μεταδωχῆ,* qualis eorum erit, qui vivi abripiuntur in occursum Christi. *1. Cor. 15. 11.* Confer. *B. Scherz. Syst. p. 545. & Excell. D. D. Pfeiff Dub. vex. Script. in cap. Gen. 5. 24. p. 52 seqq.* De *Judeo* quodam (antea *Chartaphilo,* post susceptum verò *Baptismum Joseph* dicto) *immortali,* prætorii ostiario, qui, cum per ostium exiret *Jesus,* pepulit Eum pugnò contemptibiliter, & irridens dixit: *Vade Iesu citius, vade quid moraris?* Cui *Jesus* severò, vultu respiciens Eum dixit: *Ego vado, & expectabis donec veniam;* Itaque nunc juxta verbum Domini expectat, qui tempore *Dominicæ*

nicæ passionis erat quasi triginta annorum, & semper, cùm usque ad centum attigerit ætatem redeuntium annorum, corripitur quasi incurabili infirmitate, & rapitur quasi in ecstasin, & convalescens redit redivivus ad illum ætatis statum, quò fuit annò, quò passus est Dominus, &c. consule B. Strauch. in *starcke und Milchspeiß conc. 1. in Dom. Latare p. 442. seqq. B. Dannhauerus mendacio admodum verisimile dicit, & aliis apertum vocatur figmentum. Iohannens Evangelistam adhuc vivere, male ex loco Job. 21. 12. colligitur, juxta vulgatum istud: conditio si nihil ponit in esse; Vulgata versio, sicut aliis in locis, ita & hîc fallit, quæ hîc locò legit: Sic volo eum manere.* Christus, cùm peccator non fuerit, mortuus quidem est, verùm morte, non naturali, non ex necessitate nature, sed voluntaria *ὁικονομία* & dispensatione. Forma mortis consistit in anima dissolutione, & à corpore discessu. Finis mortis ratione impiorum, est eorum punitio; respectu piorum, ad dulcem somnium compositio. Mors temporalis manet in his ob materiale peccati residuum, pœnæ tamen locum propriè non habet, quia nec à Deo irato, sed placato, nec cum maledictione, sed cum benedictionis promissione, neque in malum finem, sed piorum salutem Job. 5. 28. immittitur. Consequens mortis est (1) corporis sepelitio, (quæ Augustino solatium dicitur vivorum, non mortuorum presidium) (2) cinefactio vel redactio in pulverem; quam Deus peccatori interminatus est, Gen. 5. 19. quæ tamen non potest significare anni hilationem irreparabilem corporis, sed privationem ad tempus duraturam. (1) Animarum piorum ad aeterna gaudia & quidem statim post mortem, (unde sequitur: Purgatorium esse fabulam, inventumque humanum, ex cogitatum ad purganda marsupia superstitionum, & corradendas pecunias, & nullum in Prophetis, [fortassis in Poëtis?] habere fundamentum. Unde Cottonus Lojolita, Confessionarius Regis Gallie, Diabolum in obsessa rogavit, ut commodum in Scripturis locum ostenderet, ex quo solide probari possit purgatorium; Ex quo ad oculos patet desperata Papaorum causa, in cujus patrocinium mendacissimum invocant Satanam. Verbò: Non est usquam status intermedius inter aeternam beatitudinem & damnationem, in quo aliqui vel solà damni, vel utràque damni & sensus pœnæ, vel etiam gaudiò afficiantur; Quod patet ex defectu omnis ido-

neæ probationis Papistarum, quibus ceu affirmantibus hæc incumbit.) ut & sine somno, (qui verè est Anabaptistarum & Socinn. fabricantium somnium!) (4) Impiorum verò ad æterna supplicia migratio.

LOCUS

DE

RESURRECTIONE MORTUORUM.

*Terminus Resurrectionis* mortuorum accipitur vel propriè, vel impropriè & figuratè. Resurrectio alia interna est, alia externa. Illa est vocatio seu resuscitatio. Hæc productio ex sepulchro, seu resurrectio speciatim dicta. Alia est carnalis, & sic in symbolo Apostolico oramus: *Credo resurrectionem carnis*. Alia spiritualis, quæ nihil aliud est quàm seria conversio ad Deum, quæ fit agnitione peccati in fide Christi, & novitate vitæ. Alia resurrectio particularis, paucorum sc. illorum, qui à Prophetis, Christo & Apostolis ad vitam temporalem resuscitati fuere. Alia universalis, in novissima demum die futura. Intelligitur hic resurrectio propriè dicta, carnalis, à morte prima seu corporis & universalis. Resurrectio mortuorum certò futura est; Quod Apostolus probat totò cap. 1. Cor. 15. vid. Job. 19. 25. (ubi habetur  $\gamma\tau$ , scio certissimè ex causis: quia scire est remper causam cognoscere, ita ut scientiam sequatur fiducia,  $\pi\epsilon\pi\epsilon\iota\sigma\mu\alpha\iota$ .) Dan. 12, 2. Ex lumine tamen nature non potest demonstrari redunitio anime cum corpore; confer. Eccles. 3. 19. Ad quem locum B. Dietr. Inst. Catech. p. 582. loqui Ecclesiasten ex sensu (non suo, sed) vulgi scribit. B. Hülsem, verò Brev. cap. 16. th. 1. & Scherz. Syst. p. 574. ut & Breviar. Eustach. 9. 222. p. 253, probant: Salomonem suam & mente non aliter existimare posse, quàm similem esse brutorum ac hominum interitum. Causa resuscitans corpora defunctorum est solus Deus triunus, non exclusâ humanitate Christi. Patri tribuitur: 1. Cor. 14. Rom. 8. 11. Filio: Job. 5. 21. & 11, 25. Spiritui S.: Ezech. 37. 14. Rom. 8. Christo  $\theta\epsilon\alpha\nu\theta\gamma\omega\pi\omega$ , Job. 19. 25. Job. 8. 27. Causa meritoria resurrectionis est Christus mortuus, & ex mortuis resuscitatus. Rom. 4. 25. Angelos causam instrumentalem resurrectionis esse, minùs accuratè dicitur; Non enim ipsius resurrectionis, sed quarundam tantùm circumstantiarum post resurrectionem, administrerunt.

erunt. *Materia ex qua resurrectionis, est nihilum privativum, Gen. 3. 19. pulvis informis. De unoquoque ergò corpore exanimi humano superesse officulum quoddam Lutz vel Neskor dictum, (de quo confer B. Scherz. Syst. p 583. Pfeiff. Dub. vex. Script. in Ps. 34. 21. p 597. seqq.) præbens corpori reproducendo non solùm materiam adæquatam, sed etiam principium productivum, falsum est. Objectum resurrectionis sunt omnia omninò corpora defunctorum, integra & perfecta, numerò & sexu eadem. Universalitas probatur manifestis ex dictis: Job. 5. 28. 2. Cor. 5. 20. 1. Cor. 15. 22. &c. Identitas verò resurgentium corporum claret ex dictis: Job. 19. 26. Es. 26. 19. Job. 5. 29. 1. Cor. 15. 53. Forma resurrectionis consistit in corporum antea mortuorum recreatione & animatione Ezech. 37. 5. Job. 19. 25. 26. Finis resurrectionis respectu Dei, est gloria potentia & justitia. Respectu hominum piorum, eorundem gloria æterna. Respectu impiorum, ignis infernalis inextinguibilis; Vel ut electi æterna gaudia, reprobi æterna supplicia recipiant. Terminus ad quem resurrectionis est extremum iudicium, immediateq; consequens suprema (ut paulò ante dictum) glorificatio Electorum, & condemnatio reproborum. Nequaquam autem reductio in vitam temporalem, ad Chiliastrum Enthusiastarum, vel Monarchiam Iudeorum capessendam.*

LOCUS

DE

EXTREMO JUDICIO.

Judicium DEI aliud particulare est, aliud universale. Particulare, & quasi privatum, cui libet homini quando moritur subeundum est. Sententia enim iudicii cui libet homini morienti in particulari, quæ in resurrectione mortuorum plenissimè promulgabitur, innotescit, de quo Job. 3. 28. Tit. 3. 11. Et hic status nò est sine actuali sensu gaudii vel crudiatùs, sed differt tantùm ab universali (ut loquitur B. Hülsem. Brev. p. 468. th. 10.) notorietate. Judicium universale, quod extremum dicitur, pro objecto habet omnes omninò homines, qui vixerunt unquam, vivunt & in posterum vivent. Non de illo, sed hoc hîc sermo est. *Daritale extremum iudicium S. Scriptura gr̃c̃ws affirmat: Ebr. 9. 27. Job. 12. 48. Matth. 11. 21. & 13.*

41, &

41. *Es* 25. 21. *seqq.* Causa Efficiens hujus Judicii est tota SS. Trinitas, est enim actio *ad extra*. Patri tribuitur: *Dan.* 7. 9. Filio: *Joh.* 5. 22. *Dan.* 7. 13. *Matth.* 16. 27. *Es* 24. 30. *Act.* 17. 31. *Rom.* 2. 16. *2. Cor.* 5. 10. Spiritui S: *Es.* 4. 4. *Gen.* 6. 3. *Joh.* 16. 8. Potestas itaque faciendi judicium tribus personis κατ' αὐτοκρατορίαν, ὁμοσίαν καὶ εὐδοσίαν competit; Christo κατ' ὁικονομίαν visibili in assumpta humanitate. Causæ Instrumentales judicii, partim *Angeli*, partim *homines pii* erunt. *Angeli* quidem per: *Matth.* 24. 30. *seqq.* *Es* 25. 31. *seqq.* *Homines pii* ex *1. Cor.* 6. 2. 3. *Matth.* 21. 28. Specialiùs *Apostoli*; vid. *Matth.* 19. 28. *Materia* live objectum judicandum duplex est, *personale* & *reale*. *Personale* sunt (α) *Dæmones*. *2. Pet.* 2. 4. *Jud.* 5. 6. *Matth.* 8. 29. (β) *homines* & quidem (α) *omnes*. *2. Cor.* 5. 19. (β) *mortui* quàm *vivi*, *Act.* 10. 42. *2. Tim.* 4. 1. (γ) *pii* & *impii*; *Illi* venient in judicium *absolutionis*, *hi* in judicium *condemnationis*; vel: *piis* expectandum est κριμᾱ judicium, non verò κατ' ἀκριμᾱ, & *condemnationem* consequens *supplicium*. *Reale* objectum sunt *omnia opera*, *cogitata*, *dicta* & *facta*. *Eccles.* 12. 14. *Dan.* 7. 10. *Matth.* 12. 36 *seqq.* *Rom.* 2. 16. *1. Cor.* 5. 16. *Apoc.* 20. 12. *Peccata fidelibus remissa*, non *iri examinatum*, sed *publicatum*, ad *convincendos impœnitentes*, de *promptitudine* & *efficacia Divinæ gratiæ*, & ad *illustrationem ejusdem gratiæ* apud *fideles*, quoad *antenus videtur*, per *Eccles.* 12. 14. *1. Cor.* 3. 13. *Es* 4. 5. *Matth.* 10. 26. *1. Tim.* 1. 16. *Probabiliùs* tamen est, *non esse publicanda*, sed in *universum commendatum* *iri bonitatem Dei*, quòd *huic* vel *illi* *grandia* & *ingentia peccata* *condonâr*it, *ideoque nulli* *fuisse desperandum*; *Idque* (a) *propter procellum judicii*, *Matth.* 25. 11. *ubi nulla* *fit mentio peccatorum*, quæ *admiserant pii*; (b) *propter dicta de remissione peccatorum*, in quibus *regi dicuntur* & *oblivioni tradi*. *Es.* 43. 25. *Jer.* 31. 34. *Ezech.* 18. 22. *Mich.* 7. 19. (c) *propter tunicam meriti & amoris Christi*, quæ *omnia illorum peccata*, *ut cunque enormia fuerint*, *contexit* & *aboleri fecit*. Confer *B. Hülf. in h. l.* *Apparatus* & *forma* hujus *judicii* *describitur*; *Matth.* 24. 30. *Es* 25. 31. *1. Thess.* 4. 16. *quam per partes latiùs descriptam* *vid. apud B. Scherz. Syst. p. 592. §. 5.* *Norma*, *juxta quam pronuntiandum est in judicio extremo*, *non est eadem*. *Pus* *namque* & *fidelibus decernetur æternum*



æternum gaudium, juxta gratiosam Evangelii normam. Infidelibus decernetur opprobrium sempiternum, juxta Moysis legem, non quidem solam, sed quatenus per Evangelium collustrata est. Tempus extremi judicii definitum, sive articulos ejus nosse nostrum non est. Marc. 13. 32. Act. 1. 7. Multitamen ejusdem sunt revelati prodromi, & assignantur à Christo, (α) heresium multiplicatio. Matth. 24. 4. seqq. 2. Petr. 3. 4. (β) Universalis Evangelii per totum orbem prædicatio. Matth. 24. 14. (γ) totius Orbis per bella, seditiones, pestilentias, terræ motus, conurbatio. Matth. 24. 6. 7. 8. (δ) horribilis piorum persecutio. Ibid. v. 9. 10. (ε) securitas & suprema impietas. (ζ) Insignis quartæ Monarchiæ labefactio. Dan. 2. 31. (η) Anti-Christi revelatio. Matth. 24. 2. 3. (θ) Varia signa, luminarium obscuratio, stellarum casus, & virtutum cœli commotio. Ibid. v. 29. 30. Locus Extremi Judicii Judæis est vallis Josaphat, per Joel. 3. 12. quorum sententiæ assurgunt quidam Pontifices: sed omnia incerta sunt; Quanquam Christum ad hanc mundi partem, in qua natus, peregrinatus & mortuus est, in qua homo creatus, & (juxta quosdam) major hominum pars vixit, rediturum non improbabile sit; Nimis temerariè tamen apodicticè id asseritur. De quæstione (An liceat provocare ad horrendum & supremum Christi tribunal, & quidem certò comparandi tempore constitutò, quam provocationem vulgò appellant: citationē in vallem Josaphat?) confer præter alios B. D. Strauch. in siarcke und Milchspeise Conc. 1. secunda fer: Pentec. p. 834. Finis in Divinæ justitiæ, gloriæ & ineffabilis bonitatis manifestatione, piorum glorificatione, & Impiorum damnatione consistit. Concomitans extremum Judicium, est Seculi consummatio.

LOCUS  
DE  
SECVLI CONSUMMATIONE.

Consummatio Seculi certò futura probatur dictis: Job. 14. 13. Ps. 72. 7. Es. 51. 6. Matth. 14. 35. Marc. 13. 21. &c. Causa Efficiens hujus consummationis est Deus Triunus, & quidem solus; Solus enim Deus mundum ex nihilo produxit, solus Deus eundem in nihilum redigere potest. Instrumentum hujus conflagrationis est  
I ignis

*ignis verus*, 2. *Petr.* 3. 7. 10. 12. *nobis tamen incognitus*. *Materia* conflagrationis est *tota rerum creaturarum universitas*, quod patet tum ex generali *assertione*, tum ex partium contentarum *enumeratione*. *Matth.* 24. 35. *Marc.* 13. 31. *Es.* 51. 6. *Pf.* 102. 27. 2. *Petr.* 3. 11. *Sophon.* 1. 18. *Es.* 2. 8. *Es.* 34. 4. *Apoc.* 20. 11. *Es.* 21. 1. Exceptis tamen *creaturis rationabilibus*. Consummatio hæc fiet per *totalem abolitionem omnis creaturæ non intelligentis*: comparatur etiam in hoc tertio *destructioni templi Hierosolymitani*, quod non quoad *accidentia solum*, sed & *ipsam substantiam* everti oportebat. *Matth.* 24. 29. 35. *Luc.* 21. 33. 2. *Petr.* 3. 10. *Finis primarius* est gloria Dei, 1. *Cor.* 15. 24. *potentiæ, justitiæ ac severitatis iræ Divinæ manifestatio*. *Deut.* 4. 24. *Ebr.* 12. 79. *Pf.* 50. 3 *Secundarius* est piorum liberatio; *Luc.* 21. 28. *Abruptio non continuandæ infidelitatis quod infideles*. An ante consummationem seculi universalis Judæorum conversio est expectanda? Ubi *Doctores* in tres abeunt partes: *Quidam* enim cum *Chilias* *regnum corporale* ante finem mundi in Judæa somniant; *Vel extraordinariam Judæorum conversionem* expectant, ut: *Patres* nonnulli, quibus accedunt *Calixtus* & alii. *Aliis* notabilis eaq; *numerosa* restare videtur Judæorum (non *successiva*, ut hoc locô vel tempore convertantur decem, illô viginti, triginta &c. Sed) *simultanea conversio*, non quidem *distributive* omnium omninò individuorum, sed *plurium*, quæ *respectu paucitatis* in tenebris relicta, *universalis* dici possit. *Sententiæ* ipsorum favent locc. *Deut.* 4. 30. *Hos.* 3. 4. 5. (ad quem notant: (1) *Chronologiam* seu temporis notationem, dum dicitur: *in extremitate dierum*, (2) *pœnitentiæ modum ac formam*, (a) in peccati agnitione & contritione, in textu habetur vox: *querent*; Quæ quæsitio non datur aliunde, quam ex peccati notitia & contritione vera; (b) in vera fiducia ac fide in Christum, (c) in nova obedientia seu pœnitentiæ fructu; sic enim *Propheta*: *Jehovam timebunt timore filiali.*) *Rom.* 11. 25. *seqq.* (ubi urgent: (a) *Mysterii notificationem*, (b) *notificationis rationem*, (c) *verborum evidentiam* & propriam significationem, (d) *subjecti descriptionem*, (e) *antecedentium comparationem*, (f) *consequentium observationem*, (g) *Vaticiniorum inductionem*; Adducit autem *Apostolus* *Es.* 59. 20. *Es.* 27. 9. *Jer.* 31. 33. *Gen.* 49. 26.

Num.

*Num 24 17. Amos 9. 14 Mich. 2. 12. Zach. 2. 10.* Quæ loca (quod concedunt) ut plurimum respiciunt *Israelitas spirituales*; Interim tamen dicunt, *Israelitas carnales* non omninò esse excludendos è numero illorum *spiritualium Israelitarum*; sed etiam complementum aliquod insigne habitura vaticinia Prophetica. (h) *Aliorum locorum N.T. collationem*; Solent autem cum hoc loco conferri præcipuè sequentia: *Matth. 23 ult. Luc. 21. 24. 1. Cor. 3. 15. Apoc. 7.* ubi de conversione Judæorum agi videtur.) *Apoc. 19. v. 6. 7. 8. 9. Levit. 26. 39.* quò locò Judæi mirificè delectantur, illumque appellant *den güldenen Affen*/ quia incipit à voce אפ, quæ *Germanis* notat *simiam*; Verùm *aurea*, quam vocant, *Judæorum simia*, nihil *aureum* ipsis ad eorum mentem promittit, ut scribit Excell. Dn. D. Pfeiffer in *Dub. Vex. Script. in cap. 26. 39. Levit. p. 277. seqq.* Adhuc alii negant *simultaneam conversionem*, tum *universalem*, tum *insignem & numerosam*, ut Magnif. Dn. D. Rudr. *Syll. p. 650.* B. Dn. D. Strauch. in *Starcke und Milchspeise p. 669.* Brentius, Gerhardus. & plures alii cum Megalandro Luthero. Quanquam autem prior sententia suâ probabilitate & specie veri non destituatur, & janua gratiæ nemini absolutò decretò occludatur, sed etiam Judæis pateat, subscribimus tam ultimæ sententiæ, propter rationes, quæ vid. apud *Magnif. Dn. D. Rudr. l. c.* Summa: *Optanda quidem esset hæc conversio*; Unde etiam pro conversione (sicut aliorum errantium, ita &) Judæorum in Litania oramus: *Alle Irrige und Verführte wiederbringen/ &c.* Verùm *vix speranda*, obstat enim summa pertinacitas Judæorum, in contradictione, dogmatum Christianorum blasphematione, & ipsius nominis Christi continua execratione, de qua B. Lutheri verba adducit B. Strauch. *l. c.* quando ait: *Ein Jude oder Jüdisch Hertz ist Stock-Stein-Eyssen Teuffel hart/ daß mit keiner Weiß zu bekehren ist/ Ich habe da keine Hoffnung/ &c.*

LOCUS

DE

GLORIFICATIRNE FIDELIUM.

*Vita eterna* hîc non accipitur *metonymicè*, quò sensu accipitur *1. Joh. 1. 2. & 5. 20.* Ubi *Christus* dicitur *vita eterna*, quia est *fons,*

I 2

AUTOR,

*autor, offerens, conferens & via ducens ad vitam aeternam; Vel pro  
modo ad caelestem gloriam perveniendi, ut Job. 17. 3. Verum proprie,  
ubi non nudam tantum viventium existentiam, sed & felicissimam  
viventium conditionem significat. Vita aeterna esse, ex solis scriptu-  
ris (etiam V. T.) apodicticè demonstrabilis est. Eccles. 3. 19. Matth.  
10. 28. 1. Cor. 2. 7. Gen. 49. 18, Exod. 3. 6. Lev. 18. 5. Job. 19. 26. Un-  
de quia vita aeterna ex ratione non demonstrabilis est, neque ut vera  
& summa, neque ut aeterna & perpetua appetitur ab homine natu-  
raliter. 1. Cor. 2. 7. Causae vitae aeternae sunt eadem, quae justifica-  
tionis. Principalis quidem DEI Benevolentia; Nam vita aeterna  
χαρισμα est. Rom. 6. ult. Meritoria solum Christi Meritum, con-  
sistens in obedientia tum activa, tum passiva. Instrumentalis ex par-  
te Dei est verbum cum sacramentis; Ex parte hominis sola fides.  
Job. 3. 15. Subjectum vitae aeternae est homo, (non Angelus, licet  
vitae aeternae aequè compos) & quidem non omnis, (etiam infidelis,  
sicut Zwinglius Herculem, Theseum, Socratem, Aristidem, Cato-  
nem, Scipionem, &c. regni caelestis consortes fecit; Unde Jesuita non  
nemo ex Hottingero quaesivit: quae Zwinglii fuisset religio?) Sed  
(1) electus, Matth. 25. 34. Job. 5. 20. (2) resuscitatus, 1. Thess. 4. 16.  
Job. 5. 28. aut (3) immutatus. 1. Cor. 15. 51. Totale est totus homo, par-  
tiale tum anima, & haec quidem ratione intellectus. Es. 54. 13. 1. Cor.  
13. 10. ratione appetitus rationalis, tum corpus. Forma beatitudi-  
nis aeternae adequata & collectiva omnium partium ac graduum  
constitutivorum, in hoc mortalitatis statu, ob defectum tum reve-  
lationis divinae, tum receptivitatis humanae, plenè & exactè definiti  
non potest; ut penè silentium hinc nobis imponat ignorantia. Inte-  
rim tamen, sicuti hic ordo in S. Scriptura proponitur, primum lo-  
cum obtinet: Beata Dei visio. Matth. 5. 8. 1. Job. 3. 2. 1. Cor. 13. 12.  
Job. 19. 27. An verò Deum visuri sumus oculis corporis? A multis  
negatur, Thomistis, Novatoribus, Socinianis & Arminianis; quos  
inter Arminian. & Socinian. ocularem Dei visionem πὺξ καὶ λαξ ne-  
gant; Illi verò solam intellectualem concedentes, DEUM  
videri oculò corporeò implicare dicunt. Nos propter clara Scri-  
pturae dicta: Ps. 18. ult. 1. Job. 3. 2. Apoc. 22. 3. pollicem premi-  
mus eorum sententiae, qui Deum aliquando in vita futura  
oculis*

oculis corporeis, glorificatis tamen & ad hunc statum elevatis, non mentis tantum visum iri persuasum habent, licet nihil certi determinemus; Ita tamen ( ut B. Hull. Brev. p. 442. loquitur ) Divinam essentiam videbimus per oculos corporis, sicut Christus incarnatus oculis corporis Patrem videt. Num autem sub tali figura, quali Prophetis apparuit, videndus sit, & an ista figura Divinam Essentiam exprimat? *λίαν μέγα αἴημα* est. Proximum locum in ingredientibus formam beatitudinis occupat *glorificatio*, 1. Cor. 15. 43. Dan. 12. 23. Quæ totum beatum afficiet, respectu animæ pariter ac corporis. Bona animæ assignantur in divinis literis, tum ratione intellectus (κ) clara & intuitiva Deicognitio, (ζ) Beatorum singula, mutua & distincta cognitio; tum ratione voluntatis summus intensissimus ac perfectissimus Dei amor. Bona corporis erunt (a) abolitio potentie contradictionis, (b) spiritualitas, 1. Cor. 15. 44. Matth. 22. 30. (c) claritas Matth. 13. 43. Dan. 12. 3. (d) impassibilitas, 1. Cor. 15. 50. Apoc. 7. 16. (e) subtilitas & aptitudo alia corpora penetrandi, (f) Illocalitas, (g) agilitas, (h) invisibilitas & impalpabilitas. Deus in vita æterna erit lumen intellectui, rectitudo voluntati, quies affectui, melos auditui, pulchritudo visui, balsamum olfactui, voluptas tactui. Gloria ista ac fidelitas erit consummata, tum positivè, ut nihil amplius boni desideretur; Ps. 17. 15. & 36. 9. Es. 66. 12. tum privativè, quia aberunt omnia corpori & animæ molesta, ea sc. quæ corpus alterare, affigere aut corrumpere solebant aut poterant, & quæ animæ quovis modò noxia & molesta erant. Huic tamen non repugnat, gloriæ æternæ diversos esse gradus, seu diversam quantitatem intensivam; Dan. 12. 3. 1. Cor. 15. 42. qui gradus differunt, ut major & minor participatio de speciebus sub uno genere contentis. Conceduntur autem bonis operibus non ex debito vel merito, sed gratia, misericordia & pacto. Erit denique gloria hæc ( sicut ineffabilis, 1. Cor. 2. 9 1. Joh. 3. 2. 1. Petr. 1. 8. ita & ) inamissibilis & æterna. 1. Thess. 4. 17. 1. Pet. 1. 3. 4. Dan. 12. 2. Ps. 25. 10. Finis principalis vitæ æternæ est Dei gloria, Eph. 1. 6. fidelitatis, 1. Thess. 5. 24. omnipotentiae, 1. Petr. 1. 5. sapientiae, Eph. 3. 9. & justitiæ suæ, 2. Thess. 1. 5. seqq. declaratio. Intermedius & proximus est hominum beatorum æterna salus & gloria,

ÆTERNA DAMNATIONE, VEL INFERNŌ.

Vox *Infernus* accipitur vel *formaliter*, quatenus ipsam damnationem, vel *subjectivè*, & sic ipsum locum damnatorum significat. *Existencia inferni* probatur ex *Deut.* 31. 22. *Es.* 6. ult. *Job.* 7. 9. *Dan.* 12. 2. *Matth.* 25. 41. 2. *Theff.* 1. 6. 1. *Petr.* 3. 19. *Phil.* 2. 9. Nō inferni nobis incognitum est; tutius est infernum fugere, quam ubi sit periculosè inquirere. Eò autem audaciæ à Pontificiis processum est, ut definiant infernum per locum subterraneum, eundemque in *meditullio terre* constituent, ut *Bellarminus* habet; Rationem hanc esse somniat: quia, si locus *Beatorum* est in summo cælo, locus damnatorum est in remotissimo loco à cælo; hinc subsumit: nihil remotius centrō terre; &c. *lib.* 2. de *Purg.* c. 6. *Cornelius à Lapide* adhuc longiùs progressus, quasi ex tripode pronunciat: Infernum esse *stadiorum* 1600. *h. e.* 200. *milliarium Italicorum*, idque quaquà versum, ut sc. infernus sit profundus 200. *milliaribus Italicis*, totidem longus, & totidem latus, & capere multa millena millia millionum damnatorum, qui in inferno compingentur, sicut pisces ac *halcees* in vase, &c. De his somniis Scriptura nihil novit, unde eadem facilitate rejiciuntur, quā asseruntur. *Causa Efficiens* inferni est *Deus justus Judex*, (α) parans *Matth.* 25. 41. (β) ut pœnas inferni irrogans, *Matth.* 10. 28. (γ) ignem conservans, *Job.* 20. 26. *Es.* 30. ult. (δ) Corpora damnatorum *incombustibilia* reddens. *Causa proxima meritoria* damnationis, eaque communis omnibus hominibus damnandis, est *vincibilis infidelitas*, *Job.* 3. 18. 36. 2. *Theff.* 6. 9. Non quòd alia peccata contra conscientiam perpetrata non sint causæ damnationis, aut quòd fides cum talibus peccatis existere possit, sed quomodo sola anima dicitur vivere, sc. radicaliter & principaliter. Ita sola incredulitas damnare dicitur: principaliter & proximè, non exclusivè. Subjectum damnationis passivæ sunt (1) *Diaboli*. *Matth.* 25. 40. 2. *Petr.* 2. 4. *Jud.* v. 6. *Apoc.* 20. no. (2) *Homines*, *Matth.* 25. 81. 2. *Theff.* 1. 6. *Increduli*; *Job.* 3. 18. & 16. 9. & quoad animam quidem statim post mortem, *Luc.* 16. 23. 2. *Petr.* 3. 18. quoad totum compositum *Matth.* 20. 28. *Apoc.* 19. 20. 2. *Cor.* 5. 10. post

post resurrectionem. Job. 5. 29. Matth. 25. 41. Sociniani verò cum  
 Arminianis, sicut ejusdem corporis resurrectionem, & ita pœnas in  
 hoc corpore futuras inficiantur. Pœna infernalis in pœnam damni  
 & sensûs, quæ tamen B. Hülsem. Brev. p. 446. minùs accurata est,  
 distinguitur. Privatè principaliter consistit in remotione omnis  
 boni, nimirum: (α) carentia visionis beatificæ & separatione à beatifi-  
 co Christi & totius S. S. Trinitatis conspectu. Matth. 25. 41. 2.  
 Thess. 1. 9 Es. 59. 2. Matth. 8. 12. (Locus Luc. 16. v. 23. contra  
 hoc nihil probat, juxta tritum istud Theologorum: Theologia pa-  
 rabolica, non est argumentativa; & Christus cit. loc. integra suppli-  
 cia post diem judicii, corpus & animam excruciantia, parabolicè o-  
 stendit.) Porro consistit in carentia (β) gloria; separati erunt à  
 consortio (1) beatorum Angelorum & beatorum hominum, Luc. 16.  
 24. seqq. (2) à Paradiso cœlesti, Apoc. 21. 27. (3) à luce, Ps. 49.  
 20. 2. Petr. 2. 17. à gaudio, Matth. 22. Positiva in accumulatione  
 omnis mali, (ibi enim erit θυμός excandescencia vehementissima,  
 Gal. 5. 20. Οργή, indignatio, ira excitans pœnam exemplarem; Rom.  
 3. 5. Ibi erit θλίψις, στενοχωρία, quæ omnem respirationem ex-  
 cludit, simulque pœnarum damni & sensûs, & miserix gravita-  
 tem & continuationem interminabilem innuit.) igne inextingui-  
 bili, verme non-morituro, & horribilissimis pariter ac exquisitissimis  
 tormentis consistit. Pœnarum infernalium atrocitas cognoscitur  
 (a) ex aternitate, (b) qualitate ignis, (qui non est metaphoricus,  
 nec specie idem cum eo qui ad usus humanos conditus est, sed est  
 ignis singularis, singulariter una cum inferno paratus, Matth. 25. 41.)  
 cujus scintilla unica (loquente ita ex Bernardo B. Gerhardò)  
 magis damnatos excruciat, quàm si fœmina in labore & partu prolis  
 mille annos continuè perduraret. Patet etiam ex qualitate vermis  
 (quem insectum aliquod vivens esse in inferno figmentum est, sed  
 horribilissima damnatorum tormenta, quæ nemo hominum vel co-  
 gitatione assequi potest, innuuntur, vid. Es. 66. ult.) Ex qualitate  
 tenebrarum Matth. 22. 23. Denique (c) ex societate Diabolica.  
 Gradus (uti gloria in cœlo, ita &) suppliciorum in inferno dari nul-  
 lum est dubium. Finis ultimus & principalis Damnationis est ve-  
 racitatis, Apoc. 21. 8. Justitiæ, 2. Thess. 1. 6. Apoc. 16. 1. 2. 3. & poten-  
 tiæ

tia Divinae manifestatio & gloria. Proximus & intermedius est debita impietati poena. *Pf. 11. 6. 7. 2. Theff. 1. 9. Joh. 3. 36.*

LOCUS

DE

ECCLESIA.

Vox *Ecclesiae* accipitur vel in sensu quidditativo, quò coetus malignantium *Pf. 26.* dicitur *Ecclesia*; vel in sensu qualitativo, & hòc sola vera est *Ecclesia*, in qua verbum Dei purè docetur, &c. Alia *Ecclesia* est *patria. Ebr. 11. 22.* Alia *via & viatorum*, seu hominum hujus vitæ, quæ aliàs *Ecclesia militans* audit; Huic *Pontificiis* tertiam addunt speciem, *laborantem* nempe in purgatorio. Alia *universalis*, pro omnibus omninò in hoc mundo fidelibus; Alia *particularis*. Hi coetus autem *particulares* sunt partes homogeneæ *Ecclesiae universalis*. Alia *Synthetica*, constans ex universitate tam *Doctorum*, quàm *auditorum*; Alia *representativa*, quam repræsentant Doctores, vel etiam delegati *Ecclesiae universalis*, in Concilio universali, vel particulari. Cùm vox *Ecclesiae* sit nomen collectivum, tam *natura Ecclesiae*, quàm *instituto Christi* adversatur, si uni individuo titulus & officium *Ecclesiae* tribuatur *Matth. 18. 17.* Causa *Ecclesiam colligens* principalis est *tota S. S. Trinitas*. Causa *ministerialis* sunt hodiè *soli homines*, ab hominibus ad hoc vocati, ut prædicando verbum Dei, & distribuendo Sacramenta, colligant ac conservent *Ecclesiam*. *Miracula* non pertinent ad causam ministerialem *Ecclesiae*, sed ad *ministerialis cause auctoritatem* roborandam, quæ auctoritas, quia miraculis jam roborata, eorumque veritas apud Christianos tam evidens est, ac si hodiè demum nobis inspectantibus ista patrarentur, idcirco inter Christianos ex instituto Christi jam cessant miracula. *Materia seu subjectum Ecclesiae* constat *docentibus & discipulis*, vel sunt omnes homines ex mundo collecti, non *Angeli*; *Soli* verò *credentes* quamdiu *tales vera ac viva* sunt *Ecclesiae* membra; Horumq; caput unicum est *Christus, Eph. 1. ult. & 4. 15.* non *Papa*. Forma interna *Ecclesiae* est *communio omnium fidelium*, de gratia Christi justificante & sanctificante, communio ejusdem fidei & professionis, circa utramque illam gratiam, & denique communio mutuae charitatis. Atque his



his præcipuè de causis dicitur Ecclesia una, sancta, catholica. Forma externa Ecclesiæ consistit in publica societate professionis, ejusdem fidei, ejusque publici exercitii, in prædicando & exponendo verbum Dei, & administrando illa sola Sacramenta, quæ à Christo instituta sunt. *Universali Ecclesiæ* promissa est *perpetua duratio*, & privilegium non amittendæ veritatis salvificæ, ejusque exercitii non abolendi, etsi *professionis locus* non singulis momentis ubique fuerit *notorius*. Ad hanc durationem requiritur, quorundam etiam *fidelium Doctorum perpetua coexistentia*. Circa *dogmata*, quæ non labefactant media consequendæ salutis, (quæ B. Kromayero articuli dicuntur *circumfundamentales & præterfundamentales*) possunt omnes & singuli fideles errare. In *fundamentalibus* verò, qui non solùm labefactant media consequendæ salutis, sed & planè *subvertunt*, *Ecclesiæ universalis* errare non potest, (non *absolutè*, sed *limitatè*, quatenus sc. sequitur vocem sponsi sui.) *Errat verò Ecclesia, quæ Ecclesiam* (particularem) *errare posse negat*; Quod inficias eunt *Pontificii*, sed male. Stringentissimum hîc argumentum est: *Ecclesia particularis* (qualis etiam Romana est) *erravit*, quod à Nostratibus alibi demonstratum fuit; *E. errare potest. Pontifici*, urgentibus, nos ostendere debere, *quando Romana Ecclesia defecerit*, respondeamus: *Solus error non tam videntur currere, quàm cucurrisse*; Sufficit nobis ostendisse, quòd defecerit. Addatur hic simile de *arbore arida*. Nota veræ Ecclesiæ vera, est *pura verbi Dei prædicatio*; Ubi deinde est *vera verbi Dei prædicatio*, ibi etiam est *legitima sacramentorum administratio*, quæ (sc. Sacramenta) (non *privativè* vel *solâ*, sed) *cumulativè*, (non *πρώτως, κυρίως ἢ ἀπλῶς*, ut *pura verbi Dei prædicatio*, sed) *δευτέρως ἢ ἐπομένως* notæ sunt Ecclesiæ. Notæ Ecclesiæ, quas *Pontificii* conglomérant, *planè non sunt notæ Ecclesiæ propriæ*, & discernentes *veram, catholicam & Apostolicam Ecclesiam* perpetuò duraturam à cœtibus sectariorum, quæ sunt (1) *usurpatio nominis Catholici*, (de quo an? & quomodo? conveniat *Pontifici*: vid. præter alios Scherz. in *Hept. Cathol.*) (2) *antiquitas*, (3) *duratio*, (4) *amplitudo*, (5) *successio Doctorum in eodem loco*, (6) *Communio cum R. Pontifice*, (7) *miracula*, (8) *felicitas & infelicitas temporalis*, (9) *propagatio doctrinæ Christianæ inter gentes* &c.

K

vid.

vid. *Paralys. fid. Pap. contra Valentiam*, Magnif. Dn. Præsidis. Finis subordinatus Ecclesiæ est hominum æterna salus. *Apoc. 2. 11. Rom. 10. 13. 1. Petr. 5. 10.* Nemo verò hominum corpore & animo [licet corpore possit esse extra Ecclesiam quis, animò verò in Ea esse necesse est, & hæc dicitur *Ecclesia votiva*, quæ aliàs ad *universalem* referri solet, & intelliguntur Christiani illi, qui à *Turcis Barbaris* vè aliis captivi tenentur; Licet enim hi huic vel illi Ecclesiæ particulari interesse non possint corporibus, intersunt tamen votis, h. e. optant ex intimis cordis penetralibus degere iis in locis, ubi verbum Dei rectè docetur, & sacramenta legitime administrantur. His non præjudicat axioma: *Extra Ecclesiam non est salus!*] simul extra Ecclesiam (scilicet visibilem) existens salvatur. Finis ultimus & summus est Dei colligentis gloria, *Es. 61. 3. Eph. 1. 11.* Hæc de *Ecclesia Synthetica*, pauca addemus de *representativa*, per quam intelliguntur Doctores & præpositi quidam Ecclesiarum, sive omnium, sive singularum, cum mandato comparendi, cognoscendi & judicandi in concilio sive œcumenico, sive particulari, hujus vel illius Provinciae, aut Regni. Vel dicuntur Doctores in suis quique Ecclesiis singularibus, habentes præter potestatem ordinis & jurisdictionis, (i. e. docendi verbum Dei, & administrandi sacramenta, ac corrigendi publica delicta) etiam potestatem cognoscendi & statuendi de ceremoniis ad bonum ordinem in Ecclesia facientibus, de interpretatione doctrinæ in capitibus, vel dubiis, vel controversis, de certis casibus inter membra Ecclesiæ emergentibus, &c. Causa instituens cujuscunq̃ue Concilii est Deus. *Matth. 18. 17.* Potestas ordinaria indicendi & convocandi Concilia, & definiendi Concilio locum, est penes Magistratum politicum, si orthodoxus sit, An verò si heterodoxus sit, ille etiam obligetur indicere? Affirmatur, si ab orthodoxis requiratur. *Pf. 2. 10. 11. Pf. 24. 7. 9.* videtiam *Recess. Imperii de Anno 15. 32. §. 1.* und so fernere. Si verò desiderium non impleatur à Magistratu heterodoxo, possunt multe Ecclesiæ particulares convocare synodum, citra injuriam in Dominos territoriorum & ipsorum permissum Confer. *Actor. 15. 6. ubi Antiochenos citra injuriam in Dominum territorii commigrasse Jerosolymas legitur. Et 2. Chron. 30. 5.* Num verò interdicente Dominò ejus territorii, in quo

quo designatus est conventui locus, designare locum possint? Licet talis conventus, etiam contra interdictum Domini territorialis, citra injuriam convocari & peragi possit, subscribimus tamen negativæ, tum quod Deus noluerit invitis obtrudere margaritas verbi sui, tum etiam ne præbeant speciem seditionis. Vid. *Matth.* 10. 33. *Actor.* 4. 18. *seqq.* & 5. 40. *seqq.* & 13. 50. & 17. 7. & 24. 5. *seqq.* Confer. D. Hülsemanni *Brev.* p. 560. *Præsidentia* in Conciliis est vel *summa*, vel *subordinata*. *Summa* est potestas, leges ponendi conscientis, secundum quas unicè pronuncianri debet; *subordinata* verò est vel ἐξουσιασικὴ *autoritativa*, quæ ad ordinem in Concilio (in proponendo, conferendo, opponendo, respondendo, sententias publicando &c. consistentem, 1. *Cor.* 14. 29. *seqq.*) gerendum, vim externam cohibendam, decretorum legitimè factorum sanctionem, & Legatorum dimissionem se extendat; Vel διορθωτικὴ *sive directiva*, quæ agenda proponit, rixas moderatur, sententias rogat, acta & facta Notariis adhibitis colligit, & totam Synodalem actionem juxta leges Synodicas dirigit. *Summa præsentia* non nisi *Christo* competit, qui solus audiendus. *Matth.* 3. 17. & 17. 5. & cujus Spiritus solus nos in omnem veritatem ducit. *Joh.* 16. 13. *Subordinata autoritativa* est *Magistratui* propria. *Directiva* verò potest vel *Magistratui*, vel *Ejus Legatis*, vel etiam *Ecclesiasticæ personæ* ex *Assessoribus* ad id delegatæ, competere. Nulla harum præsentiarum *R. Episcopo*, quatenus *Romanus Episcopus* aut *Monarcha* *Ecclesiæ* est, competit, quod etiam praxis comprobat, dum multæ *Veteres Synodi* celebratæ, in quibus *Papa* nec *per se*, nec *per Legatos*, præfederit. *Facultas legalis & externa judicandi* in Concilio, competit tum *Laicis*, tum *Clericis*, si utrique mittantur ab *Ecclesia*; Cùm verò ratione *qualitatis intrinsecæ* non sint *omnes* habiles æquè ad dijudicandum, nec *facultas judicandi* infundatur per miraculum, ut in primitiva *Ecclesia*, sed hodiè acquirenda sit studiò, illi præcipuè sunt habiles, qui *S. literas didicerunt*; sufficit interim ratione *Laicorum*, si ea, quæ à *Doctoribus* decisa & discussa sunt, *rati habeant*. *Actor* tamen & *reus* non possunt esse *judices in Concilio*. *Objecta* in Concilio ventilanda, sunt *questiones circa dogmata & mores*. *Actor.* 15. 19. 20. *Norma* (ut credendi, sic &) decidendi in

Concilio, debet esse *S. Scriptura*, 2. *Petr.* 1. 19. *Finis Conciliorum* est *gloria Dei*, ædificatio *Ecclesiæ*, conservatio ac instauratio unitatis fidei, qui tamen finis ideò non excidit, & propterea Concilia erunt inutilia, si non omnes parent positivè, seu credunt ejus decretis; Id enim *Salvator* Conciliis in statu hujus viæ non tantùm nõ promisit, sed & semper aliquos dissenturos prædixit. *Universale Concilium* (quod omnes & singulas *Ecclesias particulares* ambitu suò actu complectatur) in toto orbe *Christiano* unquã extitisse, nec verisimile est, nec sufficienti inductione potest demonstrari. Priora quatuor tamen dicuntur *œcumenica*, quia subsequente ratihabitione decreta à singulis *Ecclesiis particularibus* approbata esse, fide (humanã sc. neque enim necessarium, ut hoc fide divinã credatur) creditur *Historicis*. Illa tamen Concilia majoris sunt autoritatis, quàm recentiora & particularia. Anathemata autem seu fulmina concilii *Trident.* nos non moramur, nam istud superiori seculò habitum, recentissimum & particulare, imò *Tyrannicum* & *Anti-Christianum* fuit, in quo *Pontifex R. actor, reus, & index* extitit, nec hic canon unquam est approbandus: *Quicquid Concilia statuunt, id tanquam verum est approbandum*; nisi sic limitetur: *Quicquid Concilia Scripturis consona, &c. statuunt, &c.* *Ecclesia* plenò & tranquillò statu suò tanquam totum in se continet tres hierarchias, spectatas ratione *Ecclesiæ, Familiæ, Reipublicæ*. Undè (ordine dignitatis) de *Ministerio Ecclesiastico*; Cujus causa *Efficiens principalis* est *Deus* vocans, *vocatione vel immediatã*, (quã *Deus* solus vel huic *u* doceret, veluti *Moyse, Paulo &c. vel alius precepit*, ut hunc *Doctorem* designarent. quomodo *Aaron & Eliseus* à *Moyse & Elia* vocati sunt; hæc tamen hodiè expectanda non est, conf. 2. *Tim.* 2. 12. *Tit.* 1. 5.) vel *mediatã* (quã quis mediantibus *Auditoribus*, vel aliis etiam *Doctoribus* vocatur ad docendum. Ubi tamen non minùs princeps causa est *Deus*, qui hunc vocandi ordinem *Ecclesiæ* præscripsit, vid. *Actor.* 6. 3. *Matth.* 9. 38. *Actor.* 20. 28.) *Causa ministeriales* vocationis, sunt omnia particularis illius *Ecclesiæ* membra, tum *Clerici*, (si sc. plures adsint) tum *Laici*, nec ullus status hinc excludendus, sed singulis suæ partes suæque officia relinquenda; *Presbyterio* nîm, *examen, ordinatio & inauguratio*; *Magistratu*:

isomi-

*nominatio, presentatio, & confirmatio; Populo: consensus, suffragium & approbatio, in quibusdam locis etiam vocatio, (nec enim ulli Ecclesiae constituta (constituta inquam, alia enim ratio est Ecclesiae plantanda & infidelium adhuc convertendorum. Sic sub initium N. T. Deus in vitis populis immisit Apostolos, vid. Rom. 10. 10. Act. 16. 20. Et hoc modo Reges Hispania, Gallia, Anglia, Batavi, Americanis in vitis immiserunt, non quidem urgente speciali mandato divino, sc. de iteratione doctrinae apud ullam gentem, postquam singulis jam olim de Christo praedicatum est, conf. cum his Act. 18. 6. nisi ex obligatione generali Magistratus, qua providere tenentur subditis suis de doctrina Christi, praedicatores) obtrudendus est Pastor, rationabili de causa Auditoribus in visus) competunt. Subjectum vocandum ratione sexus sit masculinum, 1. Cor. 14. 33 Act. 21. 8. seqq. ratione qualitatis sit d. etum, pium & exploratum; confer: 1. Tim. 3. 2. & 2. Tit. 1. 7. Ad capacitatem ex parte subjecti vocati publice declarandam, pertinet ordinatio, (quae secundum B. Scherz, in h. l. est publica *ἰκανότητος* in missio declaratio, ejusdem à seculi negotiis solennis segregatio, & apud Deum per preces & *χειροθεσίον* (cujus tamen non est necessitas absoluta, sed ordinis) Ecclesiae commendatio.) Eius causa ministra tam est Presbyter, quam Episcopus. Subjectum Ordinationis adequatum est vocatus ad certum & curatum officium Ecclesiasticum; Ut inde ad oculos pateat, quando R. Papa vel ordinat, vel creat titulares, larvatos & umbratiles Episcopos, nullum gregem tamen habentes, vel unquam habituros, quam dolose (non dicam ridicule) agat; Cum isti Episcoporum partes non tueantur, quomodo Episcopi titulum merebuntur? confer Act. 20. 17. 1. Tim. 3. 2. seqq. Effectus ordinationis non est character indelebilis, (qui temere & sine ratione à Papistis asseritur) sed impetratio gratiae gratis datae, seu idoneitatis ad docendum. 1. Tim. 4. Forma interna Ministerii Ecclesiastici consistit in potestate, quae vel ordinis vel jurisdictionis. Habet Minister Ecclesiae potestatem Ordinis (id est: ministerium verbi, (hujus doctrina est vel elementaris & catechetica, vel plenior & perfectior, constans doctrinâ, refutatione, correctione & consolatione) & administratio Sacramentorum) nec non & jurisdictionis, (quae consistit in clave solvente & ligante, i. e. excommunicatione obnoxio-*

rum publicis criminibus, & absolutione eorum, si conversi petant absolutionem, quæ potestas omnibus Pastoribus Ecclesiæ competit, non uni præ aliis, magis aut minus. vid. Job 20. 25. Act. 20. 17. 18. seqq. Quanquam circa excommunicationem & absolutionem requiratur (quoad exercitium sc.) consensus & sententia plurium. Matth. 18. 27. 1. Cor. 5. 8.) Externa Ministerii forma in graduum & ordinis diversitate consistit. Hanc confirmant tum V. tum N. Testamenta, diversitas item partim appellationum, partim donorum, partim functionum; Et hæc omninò retinenda est, etiam in nostris Ecclesiis. Confer. 1. Cor. 12. An Apostolatus hodiè in Ecclesia adhuc vigeat? N. vid. latiùs hæc probata, & sententiam contrariam Belgæ cujusdam, nec non varissimam arrogationem Apostolatûs Missionariorum Pontific. refutatas à B. Scherz. Syst. p. 687 seqq. Finis Ministeriis summus & ultimus est gloria Dei; Intermedius hominum conversio, & æternæ salutis acquisitio. Marc. 16. 15. Confer. Magnif. Dn. D. Rudrauff. Syll. in h. l. B. Scherz. in h. l. Brev. B. Hülsem. Kromayerum, Königium, Ebartum & alios. Magistratûs (quæ vox sumitur vel abstractè, pro ipsa potestate, vel concretè, pro ipsis personis, tali potestate divinitus instructis) causa efficiens ac instituens immediata est Deus, (eâdem immedia-tione causalitatis, quâ instituit statum Ecclesiasticum & conjugalem, non per primigeniam aut originalem collectionem hujus potestatis in Rempubl. quæ lumine naturæ edocta deinceps consultum duxerit, transferre potestatem singulis competentem, in unum vel plures, ordinis & conservandæ societatis causâ; Nunc verò (non quidem immediatè, sed) mediatè per homines tanquam causas instrumentales Magistratum constituit.) Modi acquirendi Magistratum sunt varii, per electionem, successionem, contractum, &c. Divisio potestatis inter plures, non variat ejus formam internam, nec quicquam derogat origini divinæ. Materia & subjectum Magistratûs Politici sunt personæ habiles, spectata idoneitatis, quarum requisita sunt (1) communia, Deuter. 17. 15. Exod. 18. 21. descripta; (2) Specialia, nimirum qualitates, genio & modo regiminis in hac republica recepto convenientes. Confer Le Grand. Instit. Philos. p. 850. seqq. Parendum autem est subditis Magistratui non accepto, nec

nec electo, nec dato per homines, nec quoad qualitates corporis & animi idoneo, qui eligeretur, dummodò *superioritatem de presenti* habeat. Forma est ipsa *potestas cognoscendi, iudicandi, ferendi leges, premiandi ac puniendi* in rebus seu negotiis civilibus & criminalibus. Potestas verò hæc vel est *absoluta*, quoad latitudinem omnium subditorum, vel *limitata*, quoad intensiorem & modum tum *lege Divinâ*, tum ab *ipsa republ.* descriptum, legique *divina, naturali & gentium* non contrarium, & hæc lege *omnis Princeps* tenetur; *Pseudopolitici* verò (solum commodum pro lege venditantes) *Magistratum supra leges* plenò ore clamitant. Objectum potestatis, circa quod Magistratus Politicus versatur, est duplex: *reale & personale*. Objectum *reale* sunt tum *res sacra & Ecclesiastica*, circa quas occupatur tum *ratione sui Ipsius*, quàm *subditorum*, tum *non-Sacra & civiles*. *Personale* sunt *subditi*, qui (vid. Cellarii *Politic.* p. 292. nec non D. Classenii *Polit.* p. 551.) vel *merè tales*, (qui nullam majestatis particulam obtinent) vel *non merè tales*, seu *mixti*, (qui in partem Majestatis veniunt.) Alii *proprie*, alii *improprie*, alii *simpliciter & absolute*, alii *secundùm quid & cum conditione*, alii *coactè*, alii *spontè*, alii *tantùm privati*, alii *non tantùm privati*, alii *mediati*, alii *immediati*, alii *nobiles*, (qui vel *genere tantùm tales*, vel *genere & virtute simul tales*) alii *ignobiles*, alii *Laici*, alii *clerici*, (vid. *Rom.* 13. 1.) subditi sunt. Atque hi tenentur [α] ad *fidelitatem*, (β) & *obsequium*; Alii addunt *reverentiam*, quod tamen (judice Dominò Classeniò *l. c.*) superfluum videtur, quoniam *qui obligatus est ad fidem & obsequium, is simul ad exhibendum honorem & reverentiam adstrictus est*. Consule etiam *Le Grand. l. c.* Finis Magistratus *summus* est *Dei gloria*; *Intermedius* est vel *generalis*, qui bonum publicum, vel *specialis*, publica nim. honestas, pietas, tranquillitas, &c. Confer omninò *Theologos paulò ante citatos*. Seminarium *Reipubl.* est *Matrimonium seu conjugium*, (quod hîc non accipitur pro *convivio nuptiali*, sed prout *matrimonii actum & statum* significat. Nec h. l. intelliguntur *nuptia Sacramentales*, inter Christum & Ecclesiam. *Eph.* 5. 32. nec *spirituales*, inter Deum & animam fidelem, *1. Cor.* 6. 17. nec *personales*, inter λόγον & assumptam carnem, nec *Ecclesiastica*:

*astica*

*fiastica Canonistarum, inter Episcopum & Ecclesiam, sed corporales, inter maritum & uxorem) quod non esse Sacramentum, claret ex eo, quia destituitur requisitis Sacramentorum ex confessorum talium. Eius causa Efficiens principalis est Deus, non tantum quoad institutionem status in abstracto, sed etiam quoad applicationem, seu intentionem conjugandi omnes homines. Gen. 2. 18. seqq. Causa proxima conjugii sunt partes contrahentes matrimonium, vel fidem conjugalem, per sponsalia & mutuum consensum; Consensus autem sit deliberatus, & ad certam personam restrictus; nitatur parentum consensu; sit categoricus, explicitus, seu publicus & notorius; Hunc verò tollit metus, (non statim tamen reverentialis) & coactio. Error circa personam, vel circa habilitatem requisitam ad essentiam matrimonii, vitiat ac tollit essentiam matrimonii. Subiectum Conjugii sunt mas & femina, (quibus vel naturalis quædam obligatio inest ad matrimonium ineundum, cum enim homo in hoc mundo constitutus sit, non ut Dominus, sed velut solò jure utendi, fruendi, salvâ rerum substantiâ, teneretur, ut nature, quæ accepit, reddat, & defunctis majoribus liberos substituat, quod non aliter fit, quàm per iustum connubium.] numerò bini, Matth. 19. 4. 1. Cor. 7. [ubi Apostolus monet ut unusquisque suam uxorem habeat, propter fornicationem, [sc. vitandam,] suam adjungit, h. e. ut interpretari licet, unam, non autem duas aut plures.] Polygamia Patriarcharum tolerata fuit à Deo, tanquam nevus, ortus ex zelo maturandæ nativitatæ Messiæ. Alii dicunt: intercessisse dispensationem divinam, circa factum devians à lege positiva Dei, promulgata in natura integra; Confer præter B. Hülsem. Brev. p. 741. (ubi pro dispensatione imprimis urget ex Matth. 19. 8. τὸ ἐπιτρέπειν, quod significare dicit non solùm tolerantiam & impunitatem fornicationis, positò flagitiò vel delictò, sed etiam indigitare tolerantiam & dispensationem circa factum ipsum) etiam Becanum in Compend. Manual. p. 426. Ex quo tamen non sequitur adhuc licitam esse polygamiam, exempla enim in rei veritatem non rectè adducuntur, sed leges examinanda sunt, quæ de rei bonitate & malitiâ decernunt, rectè ita loquente Le Grand. Instit. Philos. p. 841. Contrahentes oportet qualitate tum intrinseca corporis, tum extrinseca familia habiles esse*

esse



esse ad contrahendum & prolificandum; Inhabilitas verò corporis, quæ unionem carnis non admittit, nec conjugium admittit. *Impedimenta*, quò minùs contrahatur conjugium, non sunt *clericalis* vel *cælibatus*, vel (si necessitas urgeat) *votum*, sed *inhabilitas naturalis*, *disparitas cultûs seu Religionis*, quæ hodiè non attenditur, *publica utilitas*, &c. Potissima verò causa est, *personarum propinquitas*, vel ratione *cognitionis*, vel ratione *affinitatis*. Ratione *cognitionis* prohibentur conjugia in *gradu primo* & *secundo* jure divinò. In quoto gradu *cognitionis*, totò etiam *affinitatis* conjugia prohibentur, vid. Scherz. *Syst. in h. l.* Computatio a. graduum hîc intelligitur (non *civilis*, ubi numerantur *personæ*, & quot *personæ* tot *gradus*, sed) *canonica*, quæ numerat *generationes*. Quamvis enim *ius canonicum* apud nostrates *lctos* quoad prohibitionem graduum non omninò attendatur, receptus tamen est in causis matrimonialibus *modus computandi secundum ius canonicum*. Vid. D. D. Struvii *Syntagma jur. civil. Tit. de matrim.* Non licita est dispensatio circa eas conjunctiones, quæ *jure divinò* prohibitæ, sed solùm in iis, quæ *jure humanò Ecclesiasticò*, interdictæ. Nullò *jure compri vignorûm nuptiæ* interdictæ. Forma conjugii, consensu semel initi, atque benedictione Sacerdotali consummati consistit in *vinculo matrimoniali*, seu illa indissolubili conjunctione, quæ alter alteri jungitur ita, ut perpetuò inde teneatur ad fidem conjugalem & cohabitationem. Dissolvitur verò (a) morte; *Rom. 7. 1. seqq.* (b) *adulterio* *Matth. 19. 9.* Alii addunt *malitiosam desertionem*, verùm, quia desertio ista non caret *suspicionem adulterii*, ideò ad hanc referri potest speciem. Finis conjugii principalis est gloria Dei *Syrac. 17. 8.* Proximus est ( $\alpha$ ) sobolis procreatio. *Gen. 1. 18.* ( $\beta$ ) mutuum adjutorium, *Gen. 2. 18.* ( $\gamma$ ) libidinis remedium. *1. Cor. 7. 2.* *Hostes Ecclesiæ* sunt: *Anti-Christus*, *Hæretici*, *Schismatici*, *Apostata*, *Neutralista*, *Syncretista*, &c. Pauca dicemus de *Antichristo* & *Syncretismo*. Vocabulum *Antichristi* usurpatur à Spiritu S. vel *Etymologicè*, pro omni eo, qui qualitatem personæ & doctrinæ Christi ex proæresi labefactat. *1. Job, 2. 22. & 4. 3.* Vel *specificè*, pro insigni & eminenti illo seductore & *Anti-Christo καὶ ἑξοχῆν* dicto. *1. Job. 2. 18.* *Anti-Christum sub unitate individuali si-*

L

ve

re unicum existere non negamus, ut solent *species monadica* existe-  
 re; Ipsum verò *absolutè unum hominem esse*, grassaturum per tres  
 tantum annos cum dimidio ante extremum (unde ex falsa hac hy-  
 pothesi *Pontificiis* vocatur *Endes-Christ.* Vide Magnif. D. D. Rudr.  
*Syll p 567. & B. Kromayer. p. 1039.*) iudicium, cum morte unius  
 & solius individui terminatum iri, aut Anti-Christum successore  
 cariturum, negatur ac pernegatur. Confer. B. Hull. *Brev. p. 783.*  
 B. Scherz. *Syst. p. 845.* *Natales Anti-Christi* temerè referuntur ad  
*Judaos*, aut tribum *Dan.* Fore enim Anti-Christum ex iis, qui *Chri-*  
*stiani* sunt professione, demonstratur ex *2. Thess. 2. 4. & 1. Joh. 2. 19.*  
*Locus Anti-Christi indefinitus est templum Dei, 2. Thess. 2. 4.* quod  
 notat *Ecclesiam.* *Sedes localis & corporea est Romanum Imperium,*  
 & quidem *diminutum*, quantum pristinam latitudinem, majesta-  
 tem & administrationem attinet, *non planè eversum.* *Dan. 7. 12.*  
*seqq.* *Sedes specialis & propria est urbs Roma,* non sub *Ethnicismo*  
 jacens, sed *Christiana & orthodoxa*, cum inciperet Anti-Christus  
 regnare; *Seducta verò & seducens meretrix, postquam paruit Anti-*  
*Christo.* Quamquam *tempus discretum* seu præcisum adventus  
 Anti-Christi, annus nempe, mensis, dies non sit determinatu ne-  
 cessarium, ad demonstrandam Anti-Christi existentiam, ex *effectis*  
*tamen* (non autè præciso temporis articulo) jubemur *Anti-Christi*  
*presentiam* deprehendere. *Proprietates Anti-Christi* sunt vel *priva-*  
*tiva* vel *positiva*; Eæque vel *adversantes universæ fidei Christianæ.*  
 vel *singulis Hierarchiis præcipuè.* Supponendum autem de his pro-  
 prietatibus, eas *simul omnes* competere Anti-Christo, non *unam aut*  
*alteram* simul. Quia enim Anti-Christus futurus est *cento omnium*  
*flagitiorum*, in doctrina & vita, sub *schemate* tamen *sanctitatis*, ideo  
 in applicatione harum notarum ad subjectum *complexè* sumendæ  
 sunt. Notandum etiam: eum pro *Anti-Christo* habendum esse,  
 qui *dogmata, Anti-Christo propria dogmatizat*, tanquam Doctor,  
 non qui *tuetur ac defendit.* Prima proprietas est *Apostasia* seu de-  
 fectio à fide, (*2. Thess. 2. 3.*) non *vulgaris unius & paucorum,*  
 sed *magna, respectu qualitatis & quantitatis*, tum *complicum*, tum  
*fidei articulorum.* Altera proprietas est insignis & singularis *hypo-*  
*crisis*, seu *mysterium iniquitatis*, quod *sanctitatis & veritatis speciem*  
 præ

præ se fert. Tertia est *quasi species hypocriseos*, affectatio sc. *miraculorum*, vel *Diabolicorum*, quoad intentionem seducendi, vel *ementitorum*. Quarta proprietas est *general. repugnantia*, cum quoad *doctrinam* tum quoad *mores*, contra Deum & divinum cultum. Quinta est *enormis & sanguinolenta persecutio & trucidatio dissidentium ab Anti-Christo*, tum per suscitata bella, tum per *maestationes & vivicomburia*. Sexta est *arrogatio potestatis in totam hierarchiam Ecclesiasticam*. Septima *tyrannis in statum Sacerdotalem*. Octava, *elatio contra Magistratum politicum*. Nona est *injuria & tyrannis in statum conjugalem*. Decima, *injuria in jus gentium*, sc. interdictum negotiandi in terris Anti-Christi, decretum impunè invadendi atque spoliandi eos, tam *Principes*, quam *privatos*, qui Characterem bestiae præ se non tulerint. Undecima, *injuria in jus gentium*. Confer de his notis Magnif. D. D. Rudr. Syll. p. 572. seqq. Scherz. Syst. p. 852. seqq. B. Hulf. Brev. p. 790. seqq. In nullum verò *gentilium Imperatorum*, quadrant hæc attributa, cum nullus eorum *sedeat in templo Dei* *ὡς θεὸς* ut Deus, nullus ut *Doctor & seductor* sub specie sanctitatis verè Christianæ. Nulla omninò causa est, ob quam *benignius sentire* oporteat de *moderno Episc. Rom.* quasi is *vel non sit Anti-Christus*, *vel non omnibus Anti-Christus*. Quamdiu enim antecessorum suorum decreta, quibus hæ notæ insunt, publicè non abrogat, sed exequitur, Anti-Christus est. Neque verò necesse est, ad demonstrationem Anti-Christi, ut hæ notæ in singulis succedentibus individuis *paris evidentie* sint. *Quemadmodum enim tempore Christi alius summus Sacerdos alio fuit sceleratior, & latro latrone est atrocior, hareticus heretico est nequior, aspis in gelu & aestu aspis est, et si illic minus expeditè feriat.* Verba sunt B. Hulfem. Brev. cap. 22. §. 22. *Destructio Anti-Christi est vel partialis & successiva, facta per Lutherum, de qua Poeta:*  
*Lutherus decimum confecit strage LEONEM.*

*De clava noli quærere, penna fuit.*

*Totalis autem cadit in adventum Christi* 2. *Theff. 2. 8.* *Syncretismus* (qui *Cretico* proverbio dicebatur: *quoties fieret ut qui modo videbantur hostes acerrimi, repente in summam concordiam redigerentur*, more *Cretensium*, qui bellis civilibus exagitati, externò hoste adventante in pacem coiverunt, *ἡ τῆλο ἦν ὁ καλέμενος ὑπ' αὐτῶν συγ-*

*αὐθιγμὸς*, & hoc frequenter evenire solet, maximè, si quando malum utrisque commune inciderit, uti tradit Erasmus in *Chiliad. Centur. I.*) qui Gallis dicitur *reunio religionum*, quoad rem quàm plurimis est amabilis, nomine hõc omnibus fermè odioso, Nihil aliud est, quàm *religionum ac cultuum miscella confusio*, eaque imprudens ac fœda, à ratione carnali, & intempestivò pacis studio nata, *Babelismus, Samaritanismus &c.* Vid. B. Schertz, *Syst. p. 731.* Ejus fundamenta ostendit Adamus Conzen. *lib. 9. Politic. cap. 24.* eò tendens, quòd *Syncretismus sit: falsa, simulata, insidiosa pax, odiorum callida simulatrix, in occasionem ultionis intentata malitia, ignis suppositus cineri doloso, periculum ingeniosè tectum, inimicitie ostentatione officii blandientes, umbra fœderum, discipula Machiavelli, filia Epicuri, pestis humane societatis, mors pietatis, &c.* Syncretismi causa prima est Diabolus; Proxima, sunt homines ( $\alpha$ ) volentes haberi pro nostris, religionem vel non rectè intelligentes, vel supinè negligentes, vel momenta ejus non attendentes; ( $\beta$ ) nolentes haberi pro nostris, *Papista, Calvinian. Socinian. &c.* & hi iterum religionem ejusque fundamenta tum ignorant, tum vilipendentes, aut fucum callidè dissimulantes. Objectum in quod peccat est vera religio, intemeratusque Dei cultus. Forma Syncretismi essentialis est præterita fundamenti fidei unitas; accidentalis est irreligiosa, infauftis consequentiis terminata, immunitas, nempe: *heretica sententia toleratio, ad sacra nostra promiscua admissio, pro fratribus in Christo reciproca agnitio, &c.* Finis & effectus est religionum damnabilis confusio, absorptioque (quam intendunt Diabolus & Syncretista) veræ religionis. Confer. scripta *Anti Syncretistica* passim. Quæritur autem de Syncretismo (A) in genere; ( $\alpha$ ) Num Lutherani Reformati & Pontificii cum Photiniani sub generali Christianorum nomine, & symboli Apostolici formula, licèt sensu contradictoriò (quem vid. in *Append. ad libr. Symbol. Cl. Dn. Adam Rechenberg.*) explicata, sublatò particularium controversiarum examine, ceu fratres spirituales in unam Ecclesiam coalescere, & veræ religionis focii appellari possint? Intendere quidem hoc videntur Sociniani & Remonstrantes; A quibus non omninò dissentiunt Geor-  
gus

gius Cassander & M. Antonius de Dominis (viris, sicut iudicium de ipsis fert B. Dn. D. Calov. in *præfat. in Consens. Repet.*, magne quidem eruditionis, sed non minoris in religione levitatis, qui à suis hanc reportârunt mercedem, ut alter autor *damnatus* habeatur, alterius cadaver, utut, palinodiâ editâ, Papæ assentaretur, *adrogum damnatum* fuerit. Ab his apparatus ad *Syncretismum* accepit D. Georgius Calixtus, qui deinde *hanc Thaidâ*, ingenii & eloquentiæ dotibus nimium confusus, præ aliis maximè ornavit) cum illis qui hos duces sequuntur. Negant *nostrates Theologi* ob dissensum in fundamento fidei, fusiùs in ipsorum scriptis explicatum. (β) An *Syncretismus* cum adversariis in fundamento fidei dissentientibus fit (a) *possibilis*, [b] *honestus*, [c] *utilis*, [d] *necessarius*? quod itidem πὺξ καὶ λαξ negatur; (a) quia contradictoria nunquam uniri possunt; (b) quia Deo exosa est conciliatio Christi & Belial; (c) quia utilitas fictitia nulla est, si attendatur periculum animarum gravissimum; (d) quia nec fingi quidem potest necessitas facti tanta, cuius contrarium longè magis necessarium. (B) In specie *Syncretismi* (α) *Lutheranorum & Reformatorum* possibilitatem non modo dubiam agnoscit Hornbeck in *summa contro.* p. 700. sed etiâ planè negat Hülsemannus & alii, ob labefactionem fundamenti (1) *substantialis* sive personalis Christi. 1. Cor. 3. 11. (2) *dogmatici*, de Dei gratia universali & absoluto decreto, (β) *organici*, verbi sc. & sacramentorum. (γ) *Syncretismi Lutheranorum & Pontificiorum* possibilitatem (quam promittit *Aurora pacis Volusii Doctoris Moguntini*) negant cordati omnes *Doctores Evangelici*, nisi priùs abrogaverit, impia, hæretica & Anti-Christiana *Anti-Christus R* decreta. (δ) *Syncretismus Lutheranorum & Photinianorum* (qui, *Christiani non sunt*) planè *impossibilis est.*

MAN-

## MANTISSA.

**H**Æ est illa religio, quæ universalem continet viam animæ liberandæ, quoniam nulla, nisi in hac liberari potest. Hæc enim est quodammodò regalis via, quæ una ducit ad regnum, non temporali fastigiò nutabundum, sed æternitatis firmitate securum. Hanc Porphyrius quærendo non invenit. Hæc est inquam liberandorum credentium universalis via, de qua Abraham fidelis divinum accepit oraculum: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Hæc est universalis via, de qua in sancta Prophetia dictum est: Deus misereatur nostri, & benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri. Hæc est universalis via de qua tantò antè prophetatum est: Erit in novissimis diebus manifestus mons domûs Domini, paratus in cacumine montium, & extolletur supra colles, & venient ad eum, universæ gentes, & ingredientur nationes multæ, & dicent: venite, ascendamus in montem Domini, & in Domum Dei Iacob, & annuntiabit nobis viam suam, & ingrediemur in ea. Via ergò ista non est unius gentis, sed universarum gentium. Et lex verbumque Domini non in Sion & Hierusalem remansit, sed inde processit, ut se per universa diffunderet.

Hæc est igitur universalis animæ liberandæ via, quam sancti Angeli, sanctique Prophetæ prius in paucis hominibus, ubi potuerunt Dei gratiam reperientibus & maximè in Hebræa gente, cujus erat ipsa quodammodò sacrata Respublica, in prophetationem & prænunciationem civitatis Dei, ex omnibus gentibus congregandæ, & tabernaculò, & templò, & sacerdotiò, & sacrificiis significaverunt, & eloquiis quibusdam manifestis, plerisque mysticis prædixerunt. Præsens autem in carne Ipse Mediator, & beati ejus Apostoli, jam testamenti novi gratiam revelantes apertius indicârunt, quæ aliquando occultius superioribus sunt significata temporibus, pro ætatum generis humani distributione, sicut eam Deo sapienti placuit ordinare, mirabilium operum Divinorum contestantibus signis. Non enim tantummodò, apparuerunt visiones angelicæ, & cœlestium ministrorum sola verba sonuerunt, verùm etiam hominibus

minibus Dei verbô simplicis pietatis agentibus, spiritus immundi de hominum corporibus, & sensibus pulsi sunt: vitia corporis, languoresque sanati: fera animalia terrarum & aquarum, volatilia cœli, ligna, elementa, sidera, divina iussa fecerunt, inferna cesserunt, mortui revixerunt: Exceptis Ipsius Salvatoris propriis singularibusque miraculis, maximè Nativitatis, & Resurrectionis: In quorum uno maternæ virginitatis tantummodò sacramentum, in altera autem etiam eorum, qui in fine resurrecturi sunt demonstravit exemplum. Hæc via totum hominem mundat, & immortalitati mortalem ex omnibus quibus constat partibus, præparat.

Quæ ex Augustin, *lib. 10. cap. 32. De Civ. Dei.* placuit  
annectere.

TANTUM!



Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through. The word "MORNING" is clearly visible in the center.

Coll. Diss. A 175, misc 16